Schade · Liber de Infantia Mariae et Christi Salvatoris · 1869

# LIBER DE INFANTIA MARIAE ET CHRISTI SALVATORIS

EX CODICE STUTTGARTENSI DESCRIPSIT

ET ENARRAVIT

OSCAR SCHADE

PHIL. DR. UNIV. REGIM. PROF. P. O.

COMMENTATIO SEORSIM EDITA
EX PROGRAMMATE UNIVERSITATIS ALBERTINAE
QUO REGNI PRUSSIARUM CONDITI MEMORIAM ANNIVERSARIAM
DIE XVIII JANUARII ANNI MDCCCLXIX CELEBRANDAM
INDICUNT PRORECTOR ET SENATUS

PROSTAT HALIS SAXONUM IN LIBRARIA ORPHANOTROPHEI
MDCCCLXIX

# LIBER DE INFANTIA MARIAE ET CHRISTI SALVATORIS

EX CODICE STUTTGARTENSI DESCRIPSIT

ET ENARRAVIT

OSCAR SCHADE

PHIL. DR. UNIV. REGIM. PROF. P. O.

---

COMMENTATIO SEORSIM EDITA
EX PROGRAMMATE UNIVERSITATIS ALBERTINAE
QUO REGNI PRUSSIARUM CONDITI MEMORIAM ANNIVERSARIAM
DIE XVIII JANUARII ANNI MDCCCLXIX CELEBRANDAM
INDICUNT PRORECTOR ET SENATUS

---

PROSTAT HALIS SAXONUM IN LIBRARIA ORPHANOTROPHEI
MDCCCLXIX

Cogitatio hominum, quum in rebus fingendis semper valde agilis, tum in fabulis quibus heroum vitae amplificari solent augendis extendendis ornandis inter se conjungendis et ad causas referendis solertissima, in vita quoque herois qui unquam exstitit maximi enarranda vim suam atque libertatem explicavit. minime enim illa contenta fuit iis quae qui ipsi viderunt rebusque interfuerunt ejusdem et proximae aetatis testes quasi uno ore affirmaverunt et in scripta sua, quae postea evangelia canonica vocabantur, receperunt; sed quum in relatione horum evangeliorum lacunae quaedam inesse (pertinent hae inprimis ad res salvatoris gentilitias natalitias pueriles nec non ad novissima ejus fata) eaeque res a scriptoribus consulto praetermissae viderentur, fabulis fictis et cujusvis generis commentis temere contextis pro sua imaginandi vi explere studuit. quod jam primis temporibus christianis factum esse non negabit quicunque quomodo et nascantur et propagentur rerum fabulae cognoverit. hae fabulae de Christo salvatore fictae, in ore populi circumlatae et ut fit auctae et variatae, cum narrationibus veris fideque dignis passim contaminatae, non sine certis consiliis ad dogmata quaedam probanda, literis mandatae sunt. exstiterunt hoc modo illa scripta quae evangelia apocrypha vulgo vocantur. neque vero recte, ut mihi quidem videtur. nam quum evangelia sint commentarii ab apostolis ipsis scripti (teste Justino Martyre in apol. **1, 66** *οἱ ἀπόστολοι ἐν τοῖς γενομένοις ὑπ' αὐτῶν ἀπομνημονεύμασιν ἃ καλεῖται εὐαγγέλια*), hoc evangeliorum nomine non decet ornari scripta quae, quantumvis apostolorum nomina prae se ferentes, tantum abest ut ab ipsis fuerint composita, ut commentis partim ineptissimis refertae reperiantur qua tamen re virorum doctorum animi deterreri non potuerunt quin acriter ad illas narrationes intenderentur, quippe quae ad perspiciendam temporum illorum quibus et prodierunt et placuerunt naturam atque indolem, ad historiam dogmatum rituum artium literarum maximi sint momenti. nec defuit igitur his scriptis doctorum hominum cura, e quorum numero tres maxime elucent (reliqui non contemnendi quidem, sed his minime comparandi): Jo. Alb Fabricius, gymnasii Hamburgensis quondam rector clarissimus, vir ingenii doctrinae et industriae laudibus cumulatissimus, Jo. Car. Thilo, vir summae et eruditionis et humanitatis, universitatis Halensis lumen quondam splendidissimum, Const. Tischendorf, theologorum Lipsiensium decus, qui quum et investigandis et eruendis fontibus sacris meritissimus tum optimo codice in lucem protracto Sinaitae cognomen mereri videtur.

Scripta apocrypha res salvatoris gentilitias natalitias pueriles tractantia, quae quidem hucusque innotuerunt, sunt haec.

I. **Protevangelium Jacobi**, quod vulgo vocatur, graecum, a Gnostico quodam eodemque Ebionaeo jam temporibus secundi fere seculi scriptum esse, non modo Origenis, seculi tertii auctoris, immo etiam Clementis Alexandrini magistri illius et Justini Martyris, qui secundo seculo floruerunt, et commemorationibus et verbis ex illo libro haustis fultus Tischendorfius probare videtur; quarto seculo sine dubio cognitum fuisse et Gregorii Nysseni († **394**) et Epiphanii († **403**) testimoniis demonstratur. qui liber qua famae celebritate semper fuerit inprimis apud christianos orientales, aliis omissis argumentis ingenti potissimum codicum numero qui adhuc exstant docemur, et quod in plures linguas orientales, copticam arabicam syriacam, sit translatus. cujus libri celebritati haud impares quoque fuerunt virorum doctorum Germanorum Gallorum Anglorum curae in edendo adhibitae. primus librum typis exscribendum curavit ex Postelli professoris Parisiensis versione latina Theod. Bibliander Basil. **1552**, iterum Argentor. **1570**, recudendum Jo. Heroldus in orthodoxographis Basil. **1555**. graecum textum in vulgus edidit primus Michael Neander Basil. **1564** secundum codicem nobis ignotum neque optimum neque antiquum una cum latina illa Postelli versione ex alio fonte fluxa, iterum **1567**, quam secundam editionem repetivit Grynaeus Basil. **1569**. primam Neandri editionem secutus est et textum ejus graecum et Postelli versionem latinam exhibens Jo. Alb. Fabricius in codice apocrypho novi test. t. **1** Hamb. **1703**, iterum **1719** p. **66—125**. Grynaeum et Fabricium secutus est Jerem. Jonesius Anglus **1722**, Fabricium Andr. Birchius Danus in auctario cod. apocr. nov. test. Fabric. Havn. **1804**, etiam duorum cod. Vatican. varias lect. addens. primus qui textum graecum novis plane instrumentis adhibitis iisdemque optimis ex librorum antiquorum auctoritate restituendum curavit fuit Thilo, codicibus usus octo Parisiensibus, duobus illis Vaticanis et uno Vindobonensi ita ut vetustissimum suum Parisiensem, seculo fere decimo exaratum, integrum daret, reliquorum

et vulgatae editionis varias lectiones subjungeret nec non Postelli versionem latinam adderet, in codicis apocryphi nov. test. tomo **1** (unico) Lips. **1832** p. **161—273**. deinde ad codicem alium, Parisiensi Thilonis illi aequalem et aeque praestantem, Venetum, oculos convertit eumque descripsit Car. Ad. Suckow a. **1840**, neque vero in codice transcribendo curam et diligentiam quae par fuit adhibuit. denique eundem codicem accuratissime transcriptum editionis suae quasi fundamentum fecit Tischendorfius, praeter eos qui jam innotuerunt multis aliis codicibus usque eo ignotis nec non iis qui apud patres leguntur locis in consilium assumptis variisque omnium lectionibus notatis, in evangeliis apocryphis Lips. **1853** p. **1—49**. Ceterum vide quae disputaverunt Thilo in prolegomenis § 4 p. XLV—LXXIII, Tischendorfius in prol. p. XII—XXV et XXXVIII adnot. **1**, idem in libro de evangeliorum apocr. origine et usu Hagae Com. **1851** § 9 p. 26—35. Versatur hoc protevangelium Jacobi quod vocatur in enarranda origine Mariae, Joachim et Annae filiae, ejus educatione in templo, quomodo Josepho viduo custodienda tradita spiritu dei gravida facta sit, deinde agit de dolore Josephi et sacerdotum ejus rei cognitione instituta, de partu virginis in spelunca ad Bethleem, de una vel duabus obstetricibus virginitatem incorruptam testantibus, de Jesu in templum delato, de stella et adventu magorum, de Jesu et Joanne servatis dum in reliquos Bethleemitarum infantes saevit Herodes et Zachariam ob filii occultati suspicionem interimit. Sermo libri simplex et ad rem accomodatus. res non inconvenienter elatae et in majus auctae. miraculorum usurpatio rara. totus operis habitus modestus et decorus.

Hoc de quo diximus protevangelium Jacobi (nomen auctoris prae se fert cap. ult. in. *ἐγὼ δὲ Ἰάκωβος ὁ γράψας τὴν ἱστορίαν ταύτην ἐν Ἱερουσαλὴμ*) fabulasque eo traditas ex oriente mox etiam ad christianos occidentales serpsisse testem habemus seculi quarti exeuntis et quinti ineuntis Hieronymum. qui quod in libro adv. Helvidium (a. 384 exeunte scripto) profert cap. 8 (opp. ed. Vallarsius 2, 214) *nulla ibi obstetrix, nulla muliercularum sedulitas intercessit. ipsa pannis involvit infantem, ipsa et mater et obstetrix fuit. 'et collocavit eum', inquit evangelista, 'in praesepio, quia non erat ei locus in diversorio'. quae sententia et apocryphorum deliramenta convincit, dum Maria ipsa pannis involvit infantem*— spectare videtur ad protev. cap. 19 et 20 (apud Thilonem p. 244 sqq., apud Tischendorfium p 34 sqq.). item quod habet in commentariis ad Matthaeum 12, 49 (in edit. Vallarsii 7, 1, 86) *quidam fratres domini de alia uxore Joseph filios suspicantur sequentes deliramenta apocryphorum* protevangelii cap. 9 locum respicit *υἱοὺς ἔχω καὶ πρεσβύτης εἰμι* (ap. Thil. p. 208, ap. Tischdf. p. 18) et cap. 17 *ἐγὼ ἀπογράψομαι τοὺς υἱούς μου* (ap. Tischdf. p. 30, ap. Thil. p. 236). quae vero ad Matth. 23, 35 habet (in edit. Vallarsii 7, 1, 190) *alii Zachariam patrem Joannis intelligi volunt, ex quibusdam apocryphorum somniis approbantes, quod propterea occisus sit, quia salvatoris praedicarit adventum*, quem locum ad protevangelium Jacobi referunt et Thilo p. XCIII et Tischendorfius p. XXV, haec ad ejus cap. 23, in quo Zachariae nex narratur, non plane quadrant quod ad causam necis attinet, quae est illic criminatio filii occultati et timor tyranni ne infans quondam regnum sit adfecturus. censeo equidem Hieronymum aut miscuisse quae de causa necis et de sacerdote antea Mariae benedicente tradantur, aut alium textum a nostro dissentientem habuisse. brevi post Innocentius I papa in epistola ad Exsuperium Tolosanum (ed. Constant. p. 796, ap. Galland. 8, 561) *quae sub nomine Jacobi minoris scripta sunt* damnavit. fine sec. 5 Gelasius papa in decretali de recip. et non recip. libr. (ed. Andr. Thiel, Brunsbergae 1866 p. 24) *evangelium nomine Jacobi apocryphum* censuit. sexto fere seculo auctorem operis imperfecti in Matthaeum verbis quibus utitur (opp. Chrysostomi ed. Montfaucon 6, XXIV b ad fin.) *sicut historia quaedam non incredibilis neque irrationabilis docet, quando gesta sunt quae refert Lucas, Joseph absens erat* ad protev. Jacobi c. 9 extr. et 13 in. spectare, eo probatur quod idem auctor sententiam qua pudicitiam servatam affirmat Maria in protev. c. 13 fin. (sec. cod. Vatic. num. 455) *ζῇ κύριος ὁ θεός μου καθότι οὐ γινώσκω πόθεν τοῦτό ἐστιν* paulo post l. c. p. XXV a ad verbum vertit *vivit dominus, nescio unde sit hoc*: quod neque Thilonem neque Tischendorfium animadvertisse miramur.

Pendent ex protevangelio Jacobi plures libri latini, quorum, qui nobis quidem innotuerunt, vetustissimus esse videtur

II. **Liber de infantia Mariae et Christi salvatoris.** primus eum in capita 24 distinctum edidit clarissimus Thilo in cod. apocr. p. 337—400 sub titulo *Historia de nativitate Mariae et de infantia salvatoris.* incipit *Erat vir in Israel nomine Joachim ex tribu Juda*, exit *non post multum tempus dixit angelus ad Joseph 'revertere in terram Juda, mortui enim sunt qui quaerebant animam pueri'.* largioris protevangelio Jacobi graeco argumenti hic liber est, nam praeter ea quae in illo leguntur fere omnia (desiderantur de Joanne occultato et Zacharia ob suspicionem ejus rei interemto fabulae) continet fugam Josephi et Mariae cum Jesu infante in Aegyptum, quaedam ejus miracula ibi edita et commorationem familiae sanctae in hac terra usque ad reditum in patriam. secutus est Thilo in edendo hoc libro codicem Paris. num. 5559 A membran. sec. 14 (titulus libri in hoc cod. est *Historia de Joachim et Anna et de nativitate beatae dei genitricis semperque virginis Mariae et de infantia salvatoris)*, adhibito alio item Paris num. 1652

membran. sec. 15 variis ejus lectionibus adjectis, de quo infra sub VII sermo erit. praefixus est libro prologus, quo *Jacobus filius Joseph* auctorem se profert: quod nomen auctoris vetustioribus jam testimoniis exhibetur. Vincentius enim Bellovacensis, notus ille sec. 13 compilator, bonam hujus libri partem (cap 6. 8. 13. 14. 17—24) speculo suo historiali inserens (videas libri 6 cap. 66. 72. 87. 89. 94. 95) auctorem laudat *Jacobum filium Joseph in libro de infantia salvatoris.* et jam tribus fere seculis ante Hrodsvitha monialis Gandersheimensis, quae historiam beatae virginis eundem secuta librum versibus hexametris leoninis descripsit, reperisse se eam dicit *sub nomine sancti Jacobi fratris domini.* sed ejusdem de infantia libri alium etiam nos codicem invenimus, viris doctis quibus apocryphorum studium placuit hucusque incognitum, vetustate reliquos valde superantem, quem nos haud indignum duximus qui typis accuratissime exscribendus detur. in hoc nostro liber de quo agimus inscribitur *de infantia sanctae Mariae et Christi salvatoris.* praemittuntur duae epistolae Chromatii Heliodorique episcoporum ad Hieronymum datae et Hieronymi eisdem respondentis. spurias has quidem esse, in nomina Hieronymi et virorum illorum amicitia et literarum commercio ei conjunctorum fictas, dubitari non potest. repugnant enim, ut alia argumenta taceamus, plane iis quae vir ille catholicus de librorum ejusmodi apocryphorum indole et usu judicabat. sed quamtumvis fictae tamen utiles sunt. docent enim aliam veterum opinionem, hunc cui praefixae sunt librum non a Jacobo sed *a Matthaeo evangelista hebraicis literis obsignatum,* deinde ab Hieronymo e hebraeo in latinum versum esse. quam opinionem etiam Wernherum poetam theotiscum sec. 12 secutum esse infra docebimus. Aetatem si quaeris, hoc inprimis considerandum esse videtur quod de Maria in templo monialis instar degente narratur cap. 6 (v. infra adnot. 89. 96), quod ad vitam monachicam commendandam scriptum esse non negabis. ergo si eo tempore quo vita monachica latior per occidentem fieri coepit, quinto exeunte et sexto fere seculo librum scriptum esse contenderis, a veritate non nimis aberraveris. Ceterum vide quae de hoc opusculo disputaverunt Thilo in proleg. ad cod. apocr. § 7 p. CV—CXVII, Tischendorfius in proleg. p. XXV sqq., idem in libro de evang. apocr. orig. et usu § 12 p. 46—48, idem de syriaca versione in proleg. ad apocal. apocr. (Lips. 1866) p. LI sqq.

III. Reperitur in Hieronymi operum editionibus **liber de nativitate Mariae**, cujus initium est *Igitur beata et gloriosa semper Maria de stirpe regia et familia David oriunda,* finis *factum est autem cum essent ibi, impleti sunt dies ut pareret et peperit filium suum primogenitum, sicut sancti evangelistae docuerunt, dominum nostrum Jesum Christum, qui cum patre et filio et spiritu sancto vivit et regnat deus per omnia secula seculorum.* continentur hoc libro paucis omissis ea fere quae in priore de quo sub II disputavimus libro usque ad cap. 13 med. narrantur i. e. res usque ad Christum nascentem. Fabricius, qui Hieronymi editionem Martianaei usus erat, textum libri aliquot locis emendavit l. c. 1, 19—38: hunc textum recepit Vallarsius in opp. Hieron. t. 11, 2 col. 380—390 et Thilo in cod. ap. 319—336 nec non Tischendorfius in ev. ap. 106—114, qui etiam ipse pauca emendare studuit. codicum hujus libri ratio denuo prorsus non habita est, nec quidquam de aetate eorum, quod sciam, docuerunt viri docti. equidem librum invenio in codice bibl. Laurent. sec. 10 exarato: v. Bandinium in catalogo hujus bibl. 3, 283. ineunte jam seculo 11 Fulbertus Carnotensis in altero de nativitate Mariae sermone plura ex eo ad verbum repetiit (v. magn. bibl. vet. patr. Paris. t. 3 p. 506). seculo 13 med. Vincentius Bellov. in spec. hist. lib. 6 c. 64 *de ortu beatae Mariae virginis praenuntiato per angelum* et c. 65 *de nativitate ejusdem* auctorem laudans *Hieronymum in historia Joachim et Annae*, priora sex hujus libri capita recepit, breviter quidem et summatim, verbis tamen usus quibus de fonte dubitari utique non potest. idem in ejusdem libri c. 72 *de conjugio beatae Mariae virginis et Joseph* parte priore laudans *Hieronymum ubi supra* eodem modo capita 7 et 8 recepit. eodem seculo exeunte Jacobus a Voragine in legendarum corpus illud amplissimum quod historia Lombardica sive legenda aurea sanctorum vulgo appellatur librum fere totum item Hieronymum auctorem laudans transcripsit: videas ibi cap 131 (126) *de nativitate b. Mariae virg.* (edit. Grässianae p. 587 med. — 589 fin.) et cap. 51 (50) *de annuntiatione dominica* (p. 217—220) passim. idem fecit sec. 14 Petrus de Natalibus in catalogo sanctorum lib. 8 cap. 51 *de nativ. s. Mariae virginis* (edit. Venet. 1506 fol. 182). praemittuntur libro in editionibus operum Hieronymi tres epistolae, prima Chromatii Heliodorique episcoporum ad Hieronymum, altera hujus data ad illos responsio, tertio loco alia ad eosdem ut videtur responsio. quarum trium epistolarum duas priores (sunt eaedem de quibus jam supra sub II egimus; typis expressas eas habes infra dissert. nostri p. 9—11) ad hunc de quo agimus librum prorsus non pertinere recte vidit Tischendorfius l. c. p. XXX sq.; pertinet ad hunc sola tertia quae incipit *Petitis a me ut vobis rescribam*, quasi prologi locum tenens. in codice illo Laurent. sec. 10, quem supra memoravimus, librum praecedunt prologi duo, praeter illum *Petitis a me ut v. rescr.* etc. alius iisdem episcopis inscriptus qui incipit *Petitis a me petitiunculam opere quidem levem sed cautela falsitatis admodum gravem*: v. Bandinium l. c. prologi mentionem facit etiam Jacobus a Voragine verbis his (ed. Gräss. p. 587 a. med.) *historiam autem nativitatis virginis beatus Hieronymus, ut in prologo refert, adolescentulus in quodam libello legit, sed post multum temporis, ut se*

*ibidem legisse recoluit, primo rogatus transcripsit*: quae quidem obiter tantum quadrant ad illa *in quantum recordari possum*, quae leguntur apud Fabric. **1**, **1**, **10** et ap. Vallars. **11**, **2**, **382** fin. sumpta fortasse sunt ex alio illo qui in Laurentiano occurrit prologo. Petrus de Natalibus eisdem fere verbis atque Jacobus a Vor. fontem suum indicat, sed post verbum *rogatis* addit *Chromatio et Heliodoro episcopis*. ceterum Hieronymum hujus quoque libri auctorem vel interpretem fictum esse negari nequit. Scriptus videtur hic liber post illum de quo sub II disputavimus, et sermone et rebus majorem antiquitatem sapientem, id quod recte vidit Tischendorfius in prol. p. XXXII, non sine quodam illius respectu, caute errores illius haereticos fidei catholicae repugnantes eliminans, ut Josephi prius conjugium procreatosque ex eo filios (cap. 8 Tischdf. p. **111** sq. coll. c. illius cap. 8 Tischdf. p. **67**), duplicem annuntiationem angeli (cap. 9 Tischdf. p. **112** sq. coll. c. illius cap. 9 Tischdf. 68 sq.), Josephi iram de Maria gravida (cap. **10** Tischdf. p. **113** sq. coll. c. illius cap. **10**. **11** Tischdf. p. **69** sq.): qua re propius ad ea accedit quae in evangeliis canonicis narrantur.

IV. **Evangelium Thomae**, quod vulgo vocatur, miracula quae fecit Jesus puer ab aetatis suae quinto usque ad duodecimum, dum Nazarethi apud parentes degit, continens, graeco sermone conscriptum, fragmentis tantum nobis traditum est. eadem fere qua protevangelium Jacobi et antiquitate et celebritate exstitisse post Thilonem nemo dubitavit. testes sunt inprimis Origenes Irenaeus Eusebius. a Gnostico quodam medii fere seculi secundi esse compositum, ipso libri argumento, miraculorum a Jesu jam puero patratorum natura demonstratur, deinde a Manichaeis usurpatum esse, Cyrilli Hierosolymitani et Timothei presbyteri Constantinopolitani (sec. 6 init.) testimoniis comprobatur, licet per cursum temporum transcribendo et in variorum usum transferendo multis modis, ut res fert, interpolatum sit. cujus rei testes sunt codices valde inter se dissentientes, pauci quidem eorumque duo mutili, nec vetustissimi, decimum quartum seculum non superantes. duae tamen recensiones secundum ea quae adhuc exstant, distingui posse videntur.

**1.** In codice Parisiensi num. 239 sec. 15 chartaceo inest evangelii Thomae fragmentum (duo vel tria folia desunt; titulus libri est *Λόγος εἰς τὰ παιδικὰ καὶ μεγαλεῖα τοῦ κυρίου καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ*; incipit *Ἀναγγέλλω ὑμῖν ἐγὼ Θωμᾶς Ἰσραελίτης πᾶσι* etc.), a Cotelerio primo cum interpretatione latina evulgatum in notis ad constit. apost. lib. 6 cap. 17 (tom. 1 p. 348 edit. Clerici). hunc textum Fabricius recudendum curavit in cod. apocr. nov. test. t. 1 edit. 2 p. 159—167, post Fabricium Jonesius Anglus (Lond. 1722) adjecta versione anglica, Mingarellius Italus (Venet. 1764) in libro quem modo citabimus. videas etiam quae Tischendorfius disputavit in proleg. ad apocal. apocr. Lips. 1866 p. LXI. integrum libri textum duo praebent codices, unus Bononiensis, Parisiensi illi fere aequalis, a Mingarellio in libro Nuova raccolta d'opuscoli scientifici e filologici tom. 12 (Venetiis 1764) cum vers. lat. editus, alter Dresdensis sec. 16, quem Thilo primus instrumentis textus constituendi addidit l. c. 277—315., post Thilonem Tischendorfius iterum collatum editioni suae in evang. apocr. p. 134—149 adhibuit. in his codicibus titulus libri est *Θωμᾶ Ἰσραελίτου φιλοσόφου ῥητὰ εἰς τὰ παιδικὰ τοῦ κυρίου.* continet liber facta Jesu pueri a quinto aetatis suae anno usque ad duodecimum. referendusne sit ad hanc recensionem liber Thomae, qui olim exstabat mutilus in cod. Vindob., inscriptus *Παιδικὰ τοῦ κυρίου καὶ θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ,* quia jam dudum prorsus evanuit, e paucissimis quae affert Lambecius in comment. de bibl. Caes. Vindob. lib. 7 p. 273 sq. dijudicari non potest.

**2.** Alteram libri Thomae recensionem e codice monachorum Sinaiticorum chart. sec. 14 vel 15 edidit primus Tischendorfius in libro Wiener Jahrbücher 1846 Anzeigeblatt p. 51 sqq., repetiit Rud. Hofmannus in opere das Leben Jesu nach den Apokryphen (Lips. 1851) p. XII—XIV, iterum edidit Tischendorfius in evang. apocr. p. 150—155. titulus est *Σύγγραμμα τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Θωμᾶ περὶ τῆς παιδικῆς ἀναστροφῆς τοῦ κυρίου.* continet hic quidem liber Jesus pueri facta a quinto usque ad octavum aetatis annum.

Accedunt ad hos graecos libri latini, quorum primum sine dubio locum obtinet

**3.** Textus latinus quem latentem in foliis membranaceis palimpsestis bibliothecae Caesareae Vindobonensis ad quintum fere seculum referendis detexit Tischendorfius, de quo agit in proleg. ad evang. apocr. p. XLVI sq. pauca tantum occultatarum scripturae notarum explicare potuisse virum clarissimum valde dolemus.

**4.** *Tractatus de pueritia Jesu secundum Thomam*, quem e codice Vaticano descripsit Tischendorfius in evang. apocr. p. 156—170. codex, cujus aetatem non designat editor, pervetustus esse non videtur. est in hoc tractatu brevibus verbis fuga Mariae et Joseph cum infante in Aegyptum, duo ibi miracula a Jesu bimulo facta et reditus in Judaeam, quas narrationes quasi prologum sequuntur sub peculiari titulo, *Thomam Israelitam et apostolum* auctorem profitente, quae fecit Jesus in civitate Nazareth a quinto usque ad octavum aetatis annum.

Ceterum de his libris Thomae adscriptis v. Thilonem in proleg. § 5 p. LXXIII - XCI, Tischendorfium in proleg. ad evang. apocr. p XXXVIII—XLIX, eundem in libro de evang. apocryph. orig. et usu § 10 p. 35—43.

5. Denique praetermittere non debemus textum libri Thomae syriacum, quem e cod. musei Britannici syriaco sec. 6, ubi inscriptus est *Evangelium Thomae Israelitae sive historia infantiae domini nostri*, edidit Williamus Wright in libro Contributions to the apocryphal literature of the New Testament etc. Lond. 1865: de quo videas Tischendorfium in proleg. ad apocalypses apocr. (Lips. 1866) p. LIII sqq.

V. **Evangelium infantiae arabicum**, e syriaca lingua translatum (exstant adhuc syriaci hujus libri codices), Syris potissimum Nestorianis probatum et lectum fuisse pluribus argumentis probari potest. primus librum edidit Heinricus Sike (Traj. ad Rhen. 1697), textum arabicum exhibens cum versione latina et notis singulas fabulas illustrantibus. versionem Sikii latinam repetivit Fabricius l. c. 1, 168—211 in capita 55 distinctam. deinde et textum arabicum et versionem latinam, Roedigeri viri clarissimi cura aliquoties correctum, adjectis notis edidit Thilo l. c. p. 63—158, post Thilonem versionem latinam solam a celeberrimo Fleischero recognitam publicavit Tischendorfius in evang. apocr. p. 171—202. incipit liber ab ortu Jesus complectiturque ejus pueritiam et quae fecit miracula in Aegypto et in Judaeam reversus usque ad aetatis annum duodecimum, totus fere versans in enarrandis fabulis ad res magicas et daemones spectantes, qualibus orientales maxime delectantur, et quae per orientem divulgatae etiam Muhamedo tantopere placuerunt ut partem in Coranum suum transcriberet. liber qualis nobis traditus est naturam non profitetur simplicem et unam, sed ex diversis scriptis et imperitorum opinionibus consutum eum esse conjicere licet. quod quo tempore factum sit, certum non liquet. insunt sine dubio superstitiones antiquissimae, sed codices, qui quidem hucusque innotuerunt, finem sec. 13 superare non videntur. quocirca viri docti de libri aetate incerti haerent. nobis quidem in duas potissimum res animus advertendus esse visus est, primum quod cap. 2 tempus quo Christus natus sit secundum aeram Alexandri definiatur, deinde quod cap. 7 legimus a Zarathustra Messiam nasciturum praedictum esse. quorum argumentorum primum quidem fallax, si diligentius rem examinaveris, nam homines orientales, inprimis Arabes, per totum medium aevum usque ad tempora recentiora Alexandri aera usos esse constat. sed alterum quod protulimus argumentum ansam ad definiendam libri aetatem praebere videtur. respicit enim, quod nos quidem censemus, tempus Sasanidarum, Achaemenidarum et regni et religionis restitutorum, quibus deletis, Zarathustrae cultu a Muhamedanis abolito, istius mentionem facere vix quisquam dignatus fuit. qui cultus quidem licet non statim radicitus sit abolitus (v. Spiegelum in libro Avesta 1, 38 sqq.), vires tamen eum vitales ex eo tempore et auctoritas apud homines defecerunt. quae quum ita sint, evangelium infantiae arabicum ante medium seculum 7 compositum esse pro certo habemus. Ceterum vide Thilonem l. c. in proleg. § 3 p. XXVI – XLIV et quae clare ac dilucide disseruit Tischendorfius l. c. p. XLIX—LIV et in libro de evang. apocr. orig. et usu § 13 p. 48—52.

VI. Exstat collectio fabularum de Jesu infante et puero inde a fuga in Aegyptum usque ad pueri annum duodecimum, latino sermone conscripta, cum fabulis quae et in illo Thomae libro et in evangelio infantiae arabico narrantur partim consentiens (prologi loco praemissa est Pseudo-Hieronymi epistola illa ad Chromatium et Heliodorum episcopos *Qui terram auri consciam* etc.) in duobus bibliothecae Laurentianae codicibus: v. Bandinium in catalogo ejusd. bibl. 1, 523 et 4, 474.

VII. Hanc fabularum collectionem conjunctam habemus ut videtur integram in pluribus codicibus cum illo de infantia Mariae et Christi salvatoris libro de quo supra sub II egimus, ita ut liber efficiatur quo historia et Mariae ejusque parentum et Jesus pueri usque ad annum aetatis duodecimum tota comprehendatur. amplissima haec est fabularum ejusmodi quae quidem in libris latinis exstat collectio. ad quam primus Thilo animum advertit, neque vero edidit et propter fabulas ipsas ineptissimas et propter textum earum in codice suo valde depravatum. fuit is codex Parisiensis ille sec. 15, cujus prioris partis varias lectiones libri, de quo sub II disputavimus, textui subjunxit. ut tamen cognoscatur quot et quas fabulas codex contineat, argumenta singulorum capitum, quae sunt 48, brevissimis verbis libro praefixa exhibuit in proleg. p CIX—CXIII, repetivit Tischendorfius in proleg. ad evang. apocr. p. XXIX sq. sequitur in codice hunc capitum indicem idem ille prologus, quem in Paris. primo libri infantiae legimus (v. sub II), quo Jacobus auctor libri nuncupatur, deinde titulus *incipit libellus de miraculis infantiae domini Jesu Christi et de patre et matre beatae Mariae.* primus librum totum edidit Tischendorfius in evang. apocr. p. 50—105, secutus duos codices italicos, Vaticanum et Laurentianum, quorum aetatem tacet: puto eos non esse pervetustos. quorum codicum alter, quem secundo loco habet, Laurentianus in fine notitiam fert *sanctus apostolus et evangelista Iohannes manu sua scripsit hunc libellum hebraicis literis consignatum, quem Ieronimus doctor ille perspicuus de hebraico in latinum deduxit*: v. infra hujus dissert p. 10, 2v. in. alter quem maxime secutus est Vaticanus tituli loco habet *incipit liber de ortu beatae Mariae et infantia salvatoris a beato Matthaeo evangelista hebraice scriptus et a beato Hieronimo presbytero in latinum translatus*, quem titulum sequuntur duae illae epistolae et Chromatii Heliodorique episcoporum ad Hieronymum et Hieronymi data illis responsio, de quibus jam supra diximus. hujus codicis Vaticani tituli auctoritate ductus

Tischendorfius hunc librum *Pseudo-Matthaei evangelium* appellavit: v. proleg. ad evang. apocr. p. XXX sqq. haud scio an minus recte fecerit vir clarissimus. rectius fecisset, ut mihi quidem videtur, si hunc titulum priori hujus libri parti, eidem de quo sub II disputavimus, dedisset, posteriorem partem (si recte conjecimus, integrum illum librum continentem, de quo modo sub VI egimus) appendicem aliquanto post adjectam habuisset. textum quoque hujus posterioris partis Vaticanum multis locis depravatum esse et lectionibus Parisiensis superari a Tischendorfio ipso in prol. ad apoc. apocr. p. LVIII sqq. conceditur. meliusne actum fuit Parisiensem maxime sequi eumque reliquorum ope corrigere?

VIII. **Historia Josephi fabri lignarii,** in Aegypto sec. fere quarto ut videtur coptice composita (exsistunt adhuc codices hujus libri coptici et quidem utraque dialecto et Memphitica et Sahidica conscripti), deinde e coptica lingua, cum abolescere cepisset, in arabicam versa. edita est arabice e cod. Paris. a. 1299 in Aegypto exarato nec non versione latina notisque illustrata a G. Wallino Lips. 1722. repetita est versio latina a Fabricio in cod. vet. test. pseudoepigr. 2, 309—336. deinde textum arabicum et interpretationem latinam ab Aem. Roedigero passim restituta et correcta edidit Thilo l. c. p. 1—61. interpretationem hoc modo correctam nuper repetivit Tischendorfius in evang. apocr. p. 115—133. Haec historia Josephi post brevem et simplicissimam eorum quae in libro infantiae late et verbose describuntur relationem (c. 1—9) fere tota versatur in enarrando exitu vitae Josephi senis, ejus morte et funere et quas partes in his rebus egerit Jesus (c. 10—30): quae omnia salvatorem ipsum discipulis narrantem facit auctor. Vide quae in proleg. operum laudatorum a Thilone p. XV—XXVI et a Tischendorfio p. XXXIV—XXXVIII disputata sunt.

Horum scriptorum apocryphorum usum per totum medium aevum apud poetas et orientales et occidentales fuisse latissimum non miraberis, sed ad id animum attendas poetarum quoque illorum nonnullos qui in carminibus componendis ea sequi solent quae ab evangelistis et apostolis eorumque probatissimis ecclesiae interpretibus traduntur, tamen passim non abhorrere a librorum apocryphorum fabulis, ut Otfridum (v. infra adnot. 136 et 206 p. 32 p. med.) et auctorem carminis saxonici quod Heliand vocatur (v. adnot. 206 p. 33 sq.) nec non Cynevulfum poetam anglosaxonicum, qui quae verba Josephum in Mariam gravidam edentem facit (apud Greinium 1, 154, 185 sqq.) *is thät vide cûdh thät ic of tham torhtan temple dryhtnes onfêng freólice fêmnan clêne vomma ledse* ex apocrypha ejus rei narratione sumpsit; quadrare enim ad illa protevangelii Jacobi c. 13 (ap. Tischdf. l. c. p. 25) *παρθένον παρέλαβον αὐτὴν ἐκ ναοῦ κυρίου* nemo non videt. (cf. libri de inf. c. 10, infra p. 23.)

Poetae qui in Germania medii aevi temporibus in componendis carminibus imitati sunt libros apocryphos infantiam Mariae et Jesus tractantes sunt fere hi.

Prima esse videtur Hrodsvitha (Hrotsvitha, Hrosvitha, Rosvitha; verissima forma saxonica est Hrôthsvîtha vel Hrôthsvîth) monialis Gandersheimensis, quae medio fere seculo decimo (obiisse fertur anno 984) versibus hexametris leoninis historiam dei genitricis (v. supra sub II) composuit: est hoc carmen in edit. princ. operum Hrodsvithae (Norimb. 1501) fol. d3r.—e5r. nuper quidem hanc poetriam non fuisse ejusque quae credebantur opera suppositicia esse, a Conrado Celte poeta laureato et ejus amicis seculi 15 decennio ultimo ficta, a Jos. Aschbachio viro clarissimo contentum est (in libro Roswitha und Conrad Celtes, Wien 1867, edit. 2 ibid. 1868) argumentis partim non plane spernendis partim vero falsis. etiam nos quaedam offenderunt, de quibus infra in adnot. 69 disputavimus. ceterum causa, ut mihi quidem videtur, nisi accuratissimo codicis examine habito decerni non potest. quod donec factum est, a communi virorum doctorum sententia discedere non possumus. secuta est poetria in carmine illo componendo non protevangelium Jacobi, ut vult Aschbachius p. 17 (19) adn. 2, (quae Barackius censeat nescimus, quia ejus operum Hrodsvithae editio in manibus nobis non est), sed secuta est librum infantiae quem hic edidimus: v. infra adnot. 29. 68a. 89. 97. 103. 114. 117. 120. 136. 166. 169. 171. 185. 204 (= Luc 2). 219 (= Matth. 2). 222. 226. 234. 235. 250. rarissime omisit quae in hoc libro habuit: v. adn. 134. 157. 236. 239. alium fontem suspicari licet solo eo loco de quo in adnot. 89 disputavimus. etiam initium et finis carminis Hrodsvithae congruit cum libro nostro, addidit tantum ex suo ingenio epilogum. si quis scire vult, quam libri recensionem secuta sit poetria, animum intendat in locos hos. Annam vocat *Acharis natam*: e codicibus nostris Parisiensis primus item Annam vocat *filiam Achar* (v. adnot. 27) nomen sacerdotis c. 7 poetria exhibet *Abiathar* cum codice Paris. primo et Stuttgartensi nostro (v. adn. 90). porro dicit, 3000 juvenes virgas suas detulisse in templum: eundem numerum praebet Paris. primus (v. adn. 109). nomen comitis Mariae, quem *Sephiphonam* exhibet poetria, proxime accedit ad *Sephiphoram* Parisiensis primi (v. adn. 122, ubi pro Paris. alter legas Paris. primus); idem valet de nomine urbis *Sonitem* coll. c. *Sotinen* Parisiensis primi et Vaticani (v. adn. 238). lectionem *iunior* (v. adn. 125) habet Hrodsvitha cum Paris. primo et Vincentio Bellovacensi.

item obstetricis nomen *Zelemi* cum Paris. primo (v. adn. 175). loco illo de quo egimus in adn. 244 poetria item facit cum eodem Parisiensi. minus graves sunt pauci loci quibus cum Vaticano (v. adn. 242), cum Vaticano et Laurentiano (v. adv. 71) et cum Paris. altero (v. adn. 205) consentit. quibus rebus reputatis dubium esse nequit quin Hrodsvitha illam libri nostri recensionem secuta sit quae exstat in codice Parisiensi primo, cum quo etiam id commune habet quod auctorem Jacobum profitetur.

Anno 1172 (ut recte vidit primus Wilhelmus Wackernagelus vir celeberrimus in historia literarum Germanicarum p. 161; non 1173, ut voluit Hoffmannus Fallerslebensis in libro Fundgruben 1, 243. 2, 145, quem secutus erat Lachmannus in Rhein. Mus. für Philol. 3, anni 1829, p. 426; v. Feifalikium in edit. sua carminis p. XXIII) Wernherus presbyter Bajovarus lingua vernacula poema composuit de nativitate Mariae et Christi salvatoris, in tria carmina (*liet*) divisum. cujus poematis integri duo adhuc exstant codices, unus Berolinensis (ms. germ. 8° nr. 109) sub fine sec. 12 exaratus, editus a F. W. Oettero Norimb. 1802, melius ab Hoffmanno in libro Fundgruben 2 (1837), 147—212, alter Vindobonensis sec. 13 in archivo ordinis teutonici degens, quem optimum textum praebentem existimans in edendo carmine maxime secutus est Jul. Feifalikius (des priesters Wernher driu liet von der maget, Wien 1860). praeterea aliorum codicum fragmenta tantum exstant: fragmentum Monacense sub fin. sec. 12 exaratum, a Doceno repertum et typis mandatum in Aretini libro Beiträge 7 (1806), 119—124, et iterum ab eodem in libro suo Miscellaneen 2 (1807) 103—108, repetitum ab Hoffmanno in Fundgruben 2, 213 sq.; deinde fragmenta Carlsruhensia a Monio reperta et edita in libro suo Anzeiger für Kunde der teutschen Vorzeit 6 (1837), col. 156—164, quae medio fere sec. 13 adjudicat editor; porro fragmenta Car. Bartschii professoris universitatis Rostockensis celeberrimi, de quibus ipse egit in editionis Feifalikiani prooemio p. IX sqq., seculo 13 ineunti ea adjudicans et ejusdem atque Monii fragmenta codicis esse ex forma foliorum et certa scribendi ratione, quae dialectum mediae Germaniae, Turingiae potissimum, profiteatur, probabiliter conjiciens. varias eorum lectiones exhibuit Feifalikius in edit. carminis p. 189 sqq. 168 sqq. sed quum scrupuli mihi exstitissent, verane esset illa aetatis fragmentorum indicatio, petii a Bartschio ut exemplaria ipsa mecum communicaret. nec petenti defuit. habeo ergo Regimonti gratissimo ejus beneficio fragmenta, et vidi haud vanos fuisse scrupulos. nam etsi versus continui sunt scripti (quod vetustioris aetatis signum vulgo habetur), literarum ductibus sine dubio efficitur ut fragmenta sint codicis non seculo 13 ineunte sed centum fere annis post exarati. quae quum ita sint, etiam de patria codicis aliter judicare licet. non enim Turingiam eam censeam sed Prussiam equitum teutonicorum terram. notum est qua alacritate illis illic temporibus literae et poesis germanicae ad res divinas et ecclesiasticas spectantes colebantur, quo calore beata virgo Maria illic celebrabatur, in cujus fidem ac tutelam equites sese dederant. cui rei etiam convenit quod carmina de vita Mariae composita magna illic existimatione habebantur testibus codicibus seu codicum fragmentis illius aetatis adhuc in bibliothecis Prussianis exstantibus vel saltem titulis codicum deperditorum in veteribus librorum catalogis occurrentibus, in quorum numero fuit (Regimonti anno 1434) 1 *buch van unsers herren kintheit* et, id quod majoris momenti nobis esse videtur, (Osterodae a. 1437) 3 *bucher unser frauwen botschaft*: v. Steffenhagenum in Hauptii ephem. 13, 569 sq. fueruntne fortasse hi tres libri tria illa Wernheri poematis carmina? *puoch* vocantur quoque illa carmina in Feifalikii codice Vindobonensi 4889. sed mittamus conjecturas. praeter ea quae indicavimus Wernheri fragmenta exstant denique Augustana, fine sec. 12 ut videtur scripta, a Bened. Greiffio nuper reperta et in Pfeifferi Germania 7 (1862), 305 sqq. edita. primam carminis formam a poeta ipso conceptam integram non habemus. qui contenderunt hujus primae recensionis esse fragmentum Monacense Doceni (Hoffmannus l. c. 2, 145, Lachmannus in Rhein. Mus. für Philol. 3, 426, Wackernagelus l. c. 161, 36, Bartschius in Pfeifferi Germ. 6, 117, Greiffius ib. 7, 311 sq.) confutari non possunt; ego quoque huic sententiae accedo. ergo dum in ea re consentiunt viri docti fere omnes, de ratione quae intercedit inter alios codices qui hanc rem in disceptationem vocaverunt (et Feifalikius l. c. XIII sq. et Bartschius in Pfeifferi Germ. 6, 117 sq. et Greiffius ib. 7, 311 sq.) inter se dissentiunt et omnes a vero plus minusve aberrare mihi videntur. res ut equidem censeo est haec. tres carminis recensiones principales sunt discernendae. prima est poetae ipsius recensio a. 1172 composita, cujus exemplum exstat in fragmento Monacensi Doceni. ex hac prima carminis forma fluxit altera recensio paulo post facta, quae partibus aliquot maxime ad ecclesiasticas illius temporis res spectantibus omissis et stili explanandi et versuum componendorum et consonantiarum finalium mediocri tantum arte rationem quandam habuit. haec recensio post annum 1190 facta esse nequit: veri simile mihi videtur etiam ante annum 1180 eam exstitisse. habemus eam adhuc integram in codice Berolinensi. non ex hac secunda recensione sed ex prima ipsa (inter annos 1180 et 1190 puto) alia fluxit majore ingenii et artis habilitate et dexteritate facta, qua locis illis non omissis inprimis orationis et versuum explanandorum ratio habebatur: cujus recensionis exemplum praebent fragmenta Augustana Greifii. in hac tertia recensione tanquam in fundamento positi sunt reliqui qui adhuc exstant textus. tantopere enim carmen placuit

ut firmata jam ac matura arte, i e. seculo **13**, haud indignum haberetur in quo denuo atque denuo variorum et superioris et mediae Germaniae virorum curae versarentur ut elegantior et teretibus auribus jucundior fieret. hoc modo duo illi textus facti sunt, quorum alterius specimina habemus fragmenta Monii et Bartschii, alter integer nobis traditus est in codice illo Vindobonensi ordinis teutonici. qua ergo cognatione varii carminis codices inter se conjuncti sint, satis perspicue demonstretur schemate hoc, in quo typi quos vocant pingues varias recensiones designant, literae lunulis inclusae codicum signa a Feifalikio et Greiffio adhibita praebent:

**A**
A (B) fragm. Monac. Doceni

**B**
B (D) cod. Berol.

**C**
C (E) fragm. Aug. Greiffii

C 1 (C) fragm. Monii et Bartschii
C 2 (A) cod. Vind. Feif.

Fontem ex quo hauserit narrationem Wernherus eum librum fuisse quem legimus apud Thilonem p. **319** sqq. i. e. librum de nativitate Mariae (de quo supra sub III egimus), non recte judicavit Wackernagelus in hist. lit. **161, 39**; fuisse alium librum recte vidit Feifalikius, sed qui hic fuerit, etsi verum volens tamen non satis accurate significavit in prooemio p. XXIV. nam non fuit liber ille quem Tischendorfius exhibet in evang. apocr. p. **50—105**, Pseudo-Matthaeum eum esse declarans (v. supra sub VII), sed fuit liber de infantia Mariae et Christi salvatoris, de quo a nobis sub II actum est, qui est pars prior illius Pseudo-Matthaei quem vocat Tischendorfius et est idem quem habes ap. Thil. p. **340** sqq., apud nos infra inde a pag. **11** typis exscriptum — hunc librum, quem nos quidem Pseudo-Matthaeum esse conjecimus (v. supra sub II), qui in nostro codice talis habetur testibus epistolis prologi loco praemissis (v. infra p. **9** sq.), etiam Wernhero earundem epistolarum auctoritate (Pseudo-) Matthaeum visum fuisse ipsis ejus verbis quae facit in prologo (**148, 7—24** Hoffm. v. **77—105** Feif. et **163, 5** Hoffm. **1143** Feif.) patet. Wernherus ergo postquam in prologo **148, 7—149, 40** epistolis illis usus est, inde a **149,41**, sequitur in rebus enarrandis nostrum infantiae librum: v. infra adnot. **29. 68 a. 89. 97. 103. 114. 120. 134. 145. 157. 166. 169. 189. 195. 204** (= Luc. 2). **214** (= Matth. 2). **216**, pauca tantum et quae sunt minoris momenti mutans (v. infra adn. **132. 167. 177. 185**), sed etiam censuram quodam modo exercens uno saltem loco illo ubi in libro nostro nepotum Josephi mentio fit (v. adn. **117**). praefert narrationem canonicam ubi de pastoribus agit Christum adoratum venientibus, quo loco liber noster brevior est (v. adn. **188**). praeterea, ut mos erat illius quo scripsit poeta temporis, contemplationes ad ecclesiam et res divinas spectantes hic illic inserit, nec non ingenio suo ductus res vario modo verbis depingit pulchrisque coloribus exornat, ut necem infantium (**208,39—210,6** Hoffm., v. **4261—4328** Feif.) et alia. narrationem ducit poeta librum nostrum sequens usque ad iter in Aegyptum a familia sancta initum et necem infantium, cui rei obitum Herodis tyranni **210, 7** sqq. et reditum familiae sanctae in patriam **210,30** sqq. proxime adjungit, nullis aliis narrationibus interjectis, fabulis illis quae in libro nostro inde a cap. **18** sunt plane omissis. consilione has omiserit auctor, an in codice quem secutus est harum nihil reppererit, dijudicari nequit: illud tamen veri similius mihi videtur. Recensionem libri infantiae nostri quem in manibus habuerit poeta si quaeris, animum advertas ad haec. nominis proprii forma *Abiathar* usus est (v. adn. **90**), qua in re congruit cum codice nostro et cum Parisiensi primo, verba *et Chore* omisit (v. adn. **118**) cum eodem Parisiensi sentiens (in hac adnot. pro alter legas quaeso primus); sed nomen comitis Mariae pro *Zahel* exhibet *Rachel* ac quidem solus (v. adn. **122**), eodemque modo nomen primae obstetricis (v. adn. **175**), hac quidem re cum Philippo Cartusiano, qui *Rachê* nomen exhibet, fere consentiens.

Sec. **12** exeunte post Wernherum (non ante eum, ut voluit Feifalikius in editione carminis Wernheri p. XXV, adductus fortasse verbis Wackernageli in hist. lit. p. **161**) H e i n r i c u s  m a g i s t e r quidam carmen de nativitate educatione desponsatione Mariae *(von unser frouwen ein liet)* composuit, quod deperditum dolemus: nomen auctoris et argumentum obiter indicat Cuonradus Fuozesbrunnensis **68, 31—63** ed Hahn. fontem fuisse auctori librum nostrum de infantia, de quo supra sub II egimus, ipsis Cuonradi verbis docemur: v. infra adn. **103**. sed ex alio praeterea quoque fonte eum hausisse aut libri illius recensionem aliam nobis adhuc ignotam in manibus habuisse, in qua de tribus Mariis Annae filiabus latior sermo erat, item Cuonradi verbis efficitur: v. Feifalikium in editione carminis Cuonradi p. XIII sq., evangelia apocrypha ed. Tischendorfius p. **104** in commentario; cf. Passionale **9,57** sqq.

Post hunc Heinricum C u o n r a d u s  F u o z e s b r u n n e n s i s Austriacus (ut et propria quaedam ejus sermonis docent, et quod nomen ejus in documentis monasteriorum Austriacorum prope Danubium sitorum occurrit: v. Jos. Die-

merum in libro kleine Beiträge 3, 66 et Pfeifferum in Hauptii ephem. 8, 160 sq.) primo sec. 13 decennio (v. Gombertum in dissert. de tribus carmin. theot. Halis 1861 inprimis p. 13 sqq. et Bartschium in Pfeiff. Germ. 8, 312 sqq.) carmen de nativitate et infantia domini nostri composuit. cujus codices exstant duo integrum quidem carmen continentes, Vindobonensis bibl. Caes. sec. 14 (v. Hoffmanni catalogum XI p. 23, tabulas cod. in bibl. palat. Vindob. asserv. 2, 119 nr. 2696) quem edidit Hahnius in Gedichte des 12. u. 13. Jhdts Quedlbg 1840 p. 67—102, et codex Lassbergi hodie Donaueschingensis fin. sec. 13 exaratus (v. Baracki catalogum p. 52), cujus codicis varias lectiones selectas ex Pfeifferi apographo dederunt Hahnius l. c. in appendice p. 137—146, Pfeifferus in Germ. sua 5, 251 sqq. praeter hos exstat tertius, Vindobonensis in archivo ordinis teutonici asservatus (idem Wernheri carmen continet), non sec. 12—13 ut voluit Feifalikius sed teste Pfeiffero l. c. p. 247 in adn. post med. sec. 13 scriptus, qui carmen non integrum exhibet; librarius enim prioris partis fere 1100 versus omisit, quia ejusdem atque pars quaedam Wernheri carminis in codice proxime praecedentis erant argumenti. hunc codicem tanquam optimum (re vera est pessimus) secutus, nimium ei et aetatis et praestantiae tribuens, carmen edidit Feifalikius (die Kindheit Jesu, Wien 1859). praeter hos tres codices plus minusve integros habemus etiam aliorum duorum fragmenta: Lipsiensia codicis sec. 13 a Leisero reperta et ab eodem in Monii libro Anzeiger für Kunde der teutschen Vorzeit 2 (1833), 96 sqq. et a Hauptio in ephem. 3, 304 sqq. typis expressa, deinde fragmentum Dronkii sec. 14 apud Monium l. c. 8 (1839), 200 sqq. editum. Cuonradus poeta historiam nativitatis educationis desponsationis Mariae virginis omisit, quippe quae jam ab Heinrico magistro tradita sit, cujus poematis argumentum brevissimis verbis indicat. locum quem post hoc argumentum, post 68, 63 edit. Hahnii habet codex Lassbergi (legis eum ap. Hahnium in append. p. 137 sq.) spurium esse, a librario seu interpolatore quodam insertum, quum propriis hujus loci consonantiis finalibus (v. Bartschium in Pfeiff. Germ. 8, 312 a med.) tum verbis *mit einer gerte daz geschach diu blüete in sinen handen* demonstratur, quae verba alium librum Cuonrado ignotum (librum de nativ. Mariae) respiciunt: v. infra adn. 114. deinde poeta narrationem suam incipit a Josepho Mariam sibi traditam Nararethum in domum suam deferente ibique eam, dum ipse quaestum suum sequitur, cum virginibus comitibus relinquente, quo facto angeli mox fit adnuntiatio. jam in his et in aliis quae sequuntur enarrandis poeta sequitur librum infantiae (v. supra sub II), ut docuimus infra in adn. 117. 132. 134. 136. 145. 157. 166. 185. 195. 204 (= Luc. 2). 219 (= Matth. 2). 222. 226. 234. 235. 250; sed suo judicio usus hic illic pauca mutat, ut numerum comitum Mariae, quas etiam ab ipsa electas fingit (v. adn. 120), numerum idolorum Aegytiorum (v. adn 239); porro non dicit angelum Mariam speluncam intrare jussisse (v. adn. 167), dicit angelos virgini parienti obstetricum muneribus esse functos (v. adn. 171), locum Jesaiae omittit (v. adn. 241), mysticam magorum munerum significationem addit 82, 12 sqq. (v. adn. 213). deinde etiam evangelia canonica minime negligit, nam in secunda angeli apparitione enarranda 70, 6—25 maxime sequitur Lucam evangelistam 1, 34. 35. 37, Elisabetham a Maria visitatam narrat secundum eundem 1, 39 sqq., idem facit in narratione de pastoribus Christum adorantibus (v. adn. 188). animum quoque advertas ad ea quae de serie quarundam rerum a Cuonrado solo observata adn. 205 disputavimus. res hoc modo procedunt usque ad fugam in Aegyptum, ubi post fabulam de palma traditam narrationem insertam legimus quae in omnibus libri infantiae qui adhuc innotuerunt codicibus desideratur: est haec pulcherrima illa de latronibus fabula 84, 75—89, 61, cujus altera pars apud reditum in patriam datur 91, 73—96, 81, quam fabulam singulari et amore et arte effinxisse videtur poeta. legimus eam in evangelio infantiae arabico c. 23 (ap. Thil p. 91. 93, ap. Tischdf. p. 183 sq.; cf. c. 17. 18. 21. 27. 28. 31. 32. 33), apud Aelredum (sec. 12) in regula ad inclusas sorores c. 48 (in Lucae Holstenii codice regularum 6, 433) et apud Petrum de Natalibus in catalogo sanctorum l. 3 c. 228 (ed. Ven. a. 1506 fol. 70r.). dum in Aegypto moratur familia sacra praeter ruinam idolorum (v. adn. 250) alia miracula a poeta non narrantur, post reditum in patriam 96, 82 sqq., dum Nazarethi degunt, octo miracula seu res mirae a Jesu puero factae traduntur. quas omnes habes in libri de quo supra sub VII egimus parte posteriore ap. Tischdf. p. 88 sqq., sed alio prorsus ordine. nec solae illae ibi leguntur sed plures. qua re disceptatio oriri potest, utrum poeta hunc librum ampliorem solum in manibus habuerit eumque per totum opus suum secutus sit, ita tamen ut sub finem delectum fabularum habuerit et delectarum ordinem suo judicio constituerit, an librum nostrum de infantia Mariae et salvatoris scriptum, qui est brevior, usque ad ejus finem secutus sit, deinde alias fabulas (de latronibus et de Jesu puero) nescio ex qua alia fabularum collectione sumpserit. verbis quoque quae facit in epilogo operis 102, 49—56 res non plane dijudicatur. ceterum mire a Jesu puero gesta Cuonradus narrat haec. 1) de ligno per Jesum distento. Cuonr. 97, 32—80 = Pass. 48, 65—49, 64. (cf. Philippus Cartusianus 4268—4333; Waltherus Reinaviensis 94, 52—95, 26). est haec fabula apud Tischendorfium in Pseudo-Matthaeo quem vocat c. 37 p. 99 sq. cf. apud eundem evang. Thomae graece c. 13 p. 144 (ap. Thilonem p. 304 sqq.), gr. B c. 11 p. 154 sq., evang. Thom. lat. c. 11 p. 166, evang. inf. arab. c. 38. 39 p. 193 sq. (ap. Thil. p. 113 sq.). porro fabula occurrit in codice Gissensi v. Jo. E. Christ. Schmidtium in Bibliothek für Kritik u. Exegese des neuen

Test. 2, 4 (1802) p. 489 sq. Petrus de Natalibus in catalogo sanctorum 3, 209 edit. Venet. 1506 fol. 66r. eandem rem tradit laudans infantiae Christi libellum. 2) de Jesu aquam in pallio suo afferente. Cuonr. 97, 81—98, 17 = Pass. 49, 65—50, 6. (Philippus 4418—4467; Walth. Reinav. 92, 13—93, 18.) videas Pseudo-Matthaeum ap. Tischdf. c. 33 p. 97, apud eundem evang. Thom. gr. A c. 11 p. 143 (ap. Thil. p. 300 sqq.), gr. B c. 10 p. 154, ev. Thom. lat. c. 9 p. 165, evang. inf. arab. c. 45 p. 197 (ap. Thil. p. 121). sed non congruit Cuonradi narratio cum his libris ita ut ex eorum uno eum hausisse liqueat, congruit vero cum narratione quam e codice bibliothecae Gissensis exscripsit Jo. E. Chr. Schmidt l. c. p. 486 sq. 3) quomodo Jesus civem oppidi mortuum cui nomen erat Joseph resuscitavit. Cuonr. 98, 18—49 = Pass. 50, 7—52 (Philippus 4052—4109; Walth. Reinav. 99, 41—100, 52.) videas Pseudo-Matthaeum ap. Tischdf. c. 40 p. 102, ap. eund. evang. Thomae graecum A c. 17 p. 147 (ap. Thil. p. 312). item non cum his congruit Cuonradus sed cum alio illo libro Gissensi l. c. pag. 492. 4) puer de solario praecipitatus a Jesu resuscitatur. Cuonr. 98, 50—81 = Pass. 50, 53—51, 24. (Philippus 4334—4417; Walth. Reinav. 93, 19—94, 51.) est haec fabula ap. Tischdf. in Pseudo-Matthaeo c. 32 p. 96 sq., in evang. Thomae gr. A c. 9 p. 142 (ap. Thil. p. 296 sqq.), gr. B c. 8 p. 153, in evang. Thomae lat. c. 7 p. 164 sq., in evang. inf. arab. c. 44 p. 197 (ap. Thil. p. 121). e cod. Gissensi exscriptam habes fabulam apud Schmidtium l. c. p. 487 sqq. 5) Jesus adolescentem qui canaliculos evertit morte mulctat sed Maria matre rogante resuscitat. Cuonr. 98, 82—100, 23 = Pass. 51, 25—53, 5. (Philippus 4488—4627; Walth. Reinav. 96, 21—99, 40). est haec fabula apud Tischdf. in Pseudo-Matthaeo c. 26 p. 88 sq. et in evang. Thomae lat. c. 4 p. 159 sq. cf. ap. eund. evang. Thomae gr. A c. 3 p. 136 (ap. Thil. p. 282 sqq.), gr. B c. 2 p. 150 sq., evang. inf. arab. c. 46 p. 197 sq. (ap. Thil. p. 123). sed proxime ad Cuonradi narrationem accedit id quod habet cod. Gissensis apud Schmidtium l. c. p. 490 sqq.

6) Jesus in habitaculo leonum versatur, qui vespertino tempore redeuntem comitantur usque ad oppidum, deinde jussu ejus revertuntur. Cuonr. 100, 24 — 101, 40 = Pass. 53, 6—54, 40. (Philippus 4628 — 4747; Walth. Reinav. 102, 8 — 104, 50.) haec fabula est ap. Tischdf. in Pseudo-Matthaeo c. 35 p. 98 et e cod. Giss. descripta ap. Schmidtium l. c. p. 494 sq. 7) Jesus aviculas ex argillo fictas vivas et avolantes facit. Cuonr. 101, 41 — 71 = Pass. 54, 41—94. (Philippus 4110 — 4175; Walth. Reinav. 100, 53 — 102, 7.) est haec fabula ap. Tischdf. in Pseudo-Matthaei evang. c. 27 p. 89 sq., in evang. Thom. gr. A. c. 2 p. 135 (ap. Thil. p. 280), gr. B c. 3 p. 151, in ev. Thom. lat. c. 4 p. 159, in cod. Giss. ap. Schmidtium l c. p. 493 sq., in evang. inf. arab. c. 46 ap. Tischdf. p. 197 sq. (ap. Thil. p. 123). cf. ibid. c. 36. 8) Jesus apud Zachariam magistrum eorumque altercatio. Cuonr. 101, 72 — 102, 47 = Pass. 55, 1 — 56, 19. (Philipp. Cartus. 3985 — 4039; Waltherus Reinav. 95, 38 — 96, 20.) est haec fabula ap. Tischdf. in evang. Pseudo-Matthaei c. 31 p. 94 et c. 38 p. 100, in evang. Thomae gr. A. c. 6. 7. p. 138 sq. (ap. Thil. p. 288 sqq.) coll. cum c. 14. 15, gr. B c. 6. 7. p. 152 sq., in evang. Thomae lat. c. 6 p. 162 et c. 12. 13 p. 166 sqq., in evang. inf. arab. c. 48. 49. p. 198 sq. (ap. Thil. p. 123 sq.).

Medio fere seculo 13 auctor anonymus (sermone quo utitur mediam Germaniam patriam fuisse indicat) arte haud mediocri carmen amplissimum in tres libros distinctum composuit, quod Passionale vocatur. in cujus carminis librum primum (edidit eum cum secundo e cod. Heidelbergensi descriptum K. A. Hahn sub titulo das alte Passional Francof. ad M. 1845) inseruit 5, 13 — 56, 19 historiam nativitatis educationis desponsationis beatae Mariae virginis nec non nativitatis et infantiae Christi salvatoris. in enarrandis his rebus neque carmine latino rythmico quod secuti sunt Philippus Cartusianus et Waltherus Reinaviensis (ut contendit Massmannus in Heidelberger Jahrb. der Literatur a. 1826 p. 1183) usus est poeta, neque quod ad priorem narrationis partem attinet libro latino quem Wernherus secutus est (ut Bartschius voluit in Pfeifferi Germ. 5, 433 in.), sed usus est libro de nativitate Mariae, de quo supra sub III disputavimus: v. infra adn. 68 a. 97. 103. 114. 117 ad fin. 120. 122. 134. 145. 157. mirum tamen est quod 9, 3 Mariae in templum delatae aetatem compertam se non habere dicit, dum eam hic liber indicat c. 6 in. deinde vero etiam quasdam res quas hic omisit ex alio illo libro de infantiae Mariae et Christi salvatoris (supra sub II) supplevit: Mariam angelo veniente operantem facit (v. adn. 136), visionem duarum catervarum habet (v adn. 166). post finem libri de nativitate Mariae, qui est postquam de Christo nato brevissimis quidem verbis actum est, quo ex fonte hausit poeta? angelos Mariam in curando infante adjuvisse dicit (v. adn. 171): non est hoc in libro infantiae nostro. de obstetricibus tacet (v. adn. 185). sed bovem et asinum infantem adoravisse narrat (v. adn. 195), quam rem habet liber de infantia. porro infantem a pastoribus adoratum et in templum esse delatum narrat secundum Lucam (v. adn. 188. 204). de magis narrat fabulam (v. adn. 206 p. 31) quam in apocryphorum librorum nullo reperimus. ex quo efficitur poetam in componendis his rebus non uno eodemque libro usum esse, sed ex variis quae sibi placuerint elegisse. inde a fuga in Aegyptum 28, 23 — 56, 19 alio poeta fonte usus est quem aperte profitetur 28, 43 sqq. et 48, 66 sq. *daz bûch von unsers herren kintheit.* hunc librum Cuonradi carmen fuisse recte jam vidit Bartschius in Pfeiff. Germ. 5, 432 sqq. habet poeta Passionalis easdem fabulas quas tradit Cuonradus et eodem ordine modoque

narratas, ut ipse quoque dicit 28, 48 sqq. *swaz ich dâr inne vinde von deme reinen kinde daz wil ich schrîben und nimmê.* sed etiamsi Cuonradi carmen maxime secutus est, tamen aliis fontibus non prorsus renunciavit. nam locum Jesaiae 38, 16 sqq. sine dubio ex libro de infantia Mariae et Christi salvatoris sumpsit (v. infra adn. 241), e libro historico latino aliquo ea quae habet 44, 30—46, 56 de Herodis in filios odio et de morte tyranni. latronem nomine appellat 48, 26. 34, quod Cuonradus omisit: habuit nomen non ex bibliorum sacrorum notitia, ut voluit Bartschius l. c. p. 439 p. med. (nomina latronum cum Christo crucifixorum in bibliis non occurrunt), sed ex evangelio Nicodemi apocrypho c. 9. 10, ita tamen ut pro *Dismas* (hanc vocem contaminans cum *Gestas*) poneret *Gesmas.*

De reliquis hujus argumenti carminibus theotiscis, quia charta deest, brevissimis tantum verbis disputare nobis licet.

Exstat in codice bibl. univers. nostrae Regimontanae nr. 905 membr. sec. 14 fol. 27 v. — 42 v. carmen anonymi de nativitate vita assumptione Mariae virginis, v. catalogum librorum theot. manuscr. Regim. in Hauptii ephem. 13,524. carmen mutilum, id quod valde dolendum est: unus quinternio versus fere 1000 complectens deest. a poeta bono tempore artis maturae ante medium seculum 13 in regionibus Rheni inferioris compositum hoc esse et stilus versuumque componendorum ratio et genus linguae docent. titulus carminis est: *Hîr beginnet van unser vrowen bodescaph unde van der bort sente Marien der juncvrowen.* incipit

*Nu wesit ein luzel stille*
*und vernemit daz ich ûch wille*
*an disen bûke dûden*
*van zwên gûden lûden,*
*van der vrowen Annen*
*und van irme gûden manne,*
*die was Jôachim genant.*
*dicke wart in dat bekant,*
*sî plêgen grôzer gûde*
*und wêren ôthmûde*
*und dêden gerne rechte.*
*sî wâren konincslechte,*
*und ne wâren doch nicht rîke,*
*wene daz sie reinelîke*
*sich nereden unde begîngen.*
*wie sie daz ane vingen,*
*daz merket rechte, ich sagit ûch hie.*
*sî deilden ir gût an drie*
*und kôften sâlde unde heil.*
*sî gâven irs gûdis ein deil*
*den armen durftigen durch got*
*und leisten gerne al sîn gebot,*
*daz ander zô dem templô,*
*daz man spâde unde vrô*
*iren sceppêre diende ave.*
*van dem dridden deile irre have*
*begîngen sî selven sich.*
*do ne was it nicht unbillich*
*daz sî hadden deste min,*
*want unrecht gewin*
*was in vile ummêre*
*wider iren sceppêre.*

fontem carminis non fuisse librum de infantia Mariae et Christi salvatoris eo statim apparet quod qui Joachimum in templo rejicit non est Ruben sed Isachar (v. quae infra adn. 29 memoravimus) et quod angelus Joachimum primum adit: quae congruunt cum libro de nativitate Mariae c. 1 et 2. in eodem carmine etiam assumptio Mariae continetur (hanc narrationem peculiare esse carmen minus recte judicavit qui scripsit catalogum librorum nostrorum l. c.), in qua enarranda Pseudo-Melitonis librum de transitu Mariae secutus est poeta. ceterum plura propediem in editione carminis agamus.

Sec. 13 exeunte vel 14 ineunte Philippus Cartusianus monachus carmen satis amplum de vita Mariae virginis conscripsit et ad fratres domus teutonicorum tanquam ad speciales virginis cultores misit. inseruit huic carmini etiam de Jesu infante et puero fabulas. exstant codices multi partim linguam mediae Germaniae (quae est genuina hujus operis) profitentes, partim ex hac in varias et inferioris et superioris Germaniae dialectos transcripti carmen enim hoc per totum seculum 14 et 15 valde placuisse eo quoque patet quod etiam cum aliis carminibus, quae historiam mundi complecti student, contaminatum in codicibus occurrit. ceterum qui edidit hoc Heinricus Rückertus (Bruder Philipps des Carthäusers Marienleben Quedlbg. u. Leipz. 1853) in dijudicanda qua poeta usus sit dialecto miro modo erravit. eodem fere tempore vel paulo post Waltherus Reinaviensis Helvetius carmen composuit ejusdem argumenti in quatuor libros distinctum, cujus codices exstant duo, Stuttgartensis sec. 14 integer et Carlsruhensis ejusd. sec. mutilus; praeterea codicis tertii fragmenta Turici asservantur. edidit carmen Adalbertus Kellerus in libellis universitatis Tübingensis annis 1849. 1852. 1853. 1855 editis. utrumque poetam et Philippum et Waltherum unum eundemque carmen latinum, vitam b. Mariae virginis et salvatoris metricam, quod in multis variarum bibliothecarum codicibus exstat, secutos fuisse jamdudum vidit Massmannus (Heidelb. Jahrb. d. Lit. a. 1826 p. 1184), confirmavit Rückertus in editionis carminis Philippi prooemio p. VIII et in comment. p. 324 sqq. pendet hoc carmen latinum et cum eo ambo

illi poetae theotisci partim ex libro de nativitate Mariae (v. adn. 68a. 114. 117 fin. 120. 157), partim ex libro de infantia Mariae et Christi salvatoris (v. adn. 134 136. 145. 166. 167. 185. 195. 222. 226. 234. 250), partim ex aliis fontibus (v. adn. 72. 235), de quibus alias disputabimus.

Denique memorandum est Wernheri cujusdam Alemanni (propria linguae talem eum produnt) carmen de vita Mariae virginis eodem fere tempore, ut fertur, conscriptum. codex exstat, quod equidem sciam, unicus Heidelbergensis, anno 1382 confectus. auctorem narrationis poeta ipse nominat sanctum Dionysium i. e. librum latinum secutus est spurium quod sub nomine Dionysii circumferebatur. quem librum dicat ignoro, quia argumentum carminis compertum non habeo. pauca de carmine disputata habes in Wilkeni hist. bibl. Heidelberg. p. 451 et in corpore lyricorum theotiscorum quod edidit von der Hagen tom 4. p 515. adn. 1.

Restat ut pauca dicamus de libri quem foliis sequentibus typis excudendum curavimus edendi ratione et de codice quem sumus secuti. codex (de quo fusius alias propediem scribemus, spatium enim satis largum hic deest) quondam fuit Zwivaldensis (monasterium Zwivaldense conditum est a. 1080), hodie est Stuttgartensis bibliothecae regiae publicae: cod. theol. 8° nr. 57. continet praeter alia quae sunt minoris momenti plures libros latinos apocryphos et librum Brandani. pluribus manibus sec. 11 exeuntis eleganter est exaratus. liber noster de infantia sanctae Mariae et Christi salvatoris, qui est primus codicis, ab uno eodemque librario scriptus. correctorum plures manus discerni possunt, quarum una ejusdem atque librarius aetatis esse apparet, reliqui recentiores videntur. librarium bonae scholae fuisse et literarum ductu et scribendi membrorumque orationis per signa certa accuratissime distinguendorum ratione probatur. ceterum haec signa primae manus non sunt omnia. propter hanc quam diximus codicis praestantiam, quae concordat cum praestantia lectionum, librum haud indignum censuimus quem summa diligentia et pari fide exprimamus, ita tamen ut vocabula per notas et compendia scripta solvamus. distinguendi signa, quae sunt quatuor (. ' / ?), accuratissime servavimus. quae quo consilio et qua ratione a librario adhibita sint, qui diligenter legent statim cognoscent. hoc solum moneo, ne quis signum / habeat exclamationis signum, munere enim modo commatis modo semicoli quod vocatur, ut res fert, fungitur. qui in codice rubricati sunt et tituli et literae initiales pinguibus quos vocant typis expressimus. folia codicis et recta et versa numeris in margine positis notavimus, ubi exeunt codicis pagina intra textum signum | insertum est. quo ordo rerum melius dignoscatur et facilius citari possit capitulorum numeros uncis inclusos ex distinctione Thilonis, quam etiam Tischendorfius secutus est, in margine posuimus. In adnotationibus textui subjunctis partim de codicis scriptura egimus quid sit librarii quid correctorum, partim lectiones codicis defendimus et probavimus, partim vocabula difficiliora et enuntiationes a communi usu recedentes explicavimus, partim singulas res hoc libro enarratas cum narrationibus aliorum librorum apocryphorum nec non carminum in Germania compositorum comparavimus, partim denique alia ad res pertinentia etiam de fabulis qui serpserint et divulgatae sint notavimus. Codicem nostrum omnium qui adhuc innotuerunt libri de quo agitur optimum esse qui rem diligenter perspexerit non negabit. habet utique lectiones praestantiores difficiliores (v. adn. 6. 14. 15. 43. 84. 88. 94. 125. 153. 181. 182. 191. 194. 236. 244), rarissime est corrigendus (v. adn 104. 105. 174). secundum locum tenent Parisienses Thilonis, qui quidem textum non praebent optimum, sed non contemnendum. in judicium cum his vocandi sunt loci quos exhibuit Vincentius Bellovacensis. tertio tandem loco habendi sunt codices Italici Vaticanus et Laurentianus, quorum priorem tanquam optimum Tischendorfius maxime secutus est. sed eo modo quo interpretando et corrigendo difficultates tollere student haud maximi aestimandos se esse ipsi satis clare docent.

## EPISTOLA

fol. 1r.

## CROMATII [1]) ET ELIODORI AD IERONIMUM.

DILECTISSIMO fratri hieronimo prefbytero [2]). cromatiuf et eliodoruf epifcopi falutem in domino. Ortum marię reginę uirginum. fimul et natiuitatem atque infantiam domini noftri iefu chrifti [3]). in apocrifif [4]) inuenimuf [5]) librif. in quibuf multa contraria nostrę fidei confiderantef fcripta uerecunda [6]) credimuf uniuerfa/ ne per occafionem chrifti / antichrifto leticiam traderemvs. Ifta igitur nobif confiderantibuf. extiterunt uiri dei armeniuf et uirînuf qui dicerent fanctitatem [7]) tuam beatiffimi mathei euangelifte manu confcriptum | uolumen hebraicum [8]) inueniffe/ in quo et uirginif 1v.

---

1) *In codice nostro inter literas* R *et* O *hujus nominis proprii in superiore parte signum* ⊢ *scriptum est, quo litera* H *et in nostro et in aliis ejusdem aetatis codicibus passim exprimitur. signum antiquum, a Graecis usurpatum, in quorum scriptura spiritum asperum indicat, inde ad Latinos translatum et in scholis scriptoriis medii aevi usque ad seculum duodecimum servatum. in nostro loco* CRHOMATIO *librarium voluisse, id quod loco signi posci videtur, non puto; veri propius est in collocando signo eum vel correctorem quendam erravisse. inter literas* C *et* R *scribi debuit, ita ut* CHROMATIO *legeretur. sed in eadem pagina* cromatiuf, *fol.* 2*v.* cromacio *scriptum est.* 2) *Utrum* prefbytero *an* prefbitero *scribendum sit dubito, quum in exprimenda hac voce solito illius temporis scripturae compendio usus sit librarius. sibi non constat in adhibendis* i *et* y: *scribit* apocrifif **1***r.*, finodo **2***v.*, firię **20***r.*, *sed* fynagoge **13***r.*, byffuf **15***v.*, ymmum **23***r.*, egyptum **26***v.* **31***r. etc.* 3) *Haec nomina quotiescunque occurrunt per notas suas receptas* ihū xpī *scripta sunt; vox* christi *passim litera* x *superscripta* i *exprimitur.* 4) *Vocis* apocrifif *prior* i *fere tota teredinis morsibus deleta: quod reliquum est hanc literam probat.* 5) inuenímuf *in codice scriptum est. sed disceptatio oriri potest, num forte librarius aut in collocando aut in formando accentuationis signo peccaverit. res est haec. ut legitima verborum voculatio legentibus observetur, accentus et acutos et circumflexos quos vocamus usurpat passim librarius, ita tamen ut in paenultima longa circumflexum ponat, in antepaenultima cum accentu efferenda acutum, quam regulam neglexisse non videtur. itaque scripsit in hoc quidem de infantia libro* uirînuf **1***r.*, eâdem **11***r.*, thiâra **13***v.*, ftupêret **19***r.*, euênit **31***v.*, *et in aliis codicis partibus* mentîtuf **32***v.*, pendêret **40***r.*, subuênit **98***r.*, interêmit **121***v.*, *sed scripsit in hoc libro* ádeo **2***v.*, oblatráncium **3***r.*, pátere **22***r.*, aríetef **27***v.*, décoquet **20***r.*, *alibi* cónditaf **33***v.*, cóndecet **39***v.*, ímminet **41***v.*, déerit **108***r.*, pátere **131***r.*, inuénimuf **109***v. bis. quae quum ita sint, summo jure conjicere licet in nostro loco scribendum fuisse aut* inuenîmus, *quo tempus praesens indicaretur, aut* inuénimuf *ad perfectum significandum. Ceterum id observo etiam in ultima longa circumflexum positum esse, id quod tamen rarissime fit, ut* unâ **17***v.* **29***v.*, *et voces monosyllabas iisdem quidem literis scriptas sed diversa quantitate pronunciandas variis accentibus notari, ut adverbium* hîc **6***r. et* híc **3***r.* **22***v. pronomen demonstrativum.* 6) *Super* uerecunda *alia manu et atramento decolore scriptum est* l *(i. e* uel*)* recusanda, *quod etiam alii codices quos affert Tischendorfius praebent omnes. sed tenendum est quod habet noster, modo observes rectam significationem. nam* scripta verecunda *sunt turpia, foeda: transit significatio in pejus eodem modo quo fit in adjectivis theotiscis* scamalîn *et* scamalîh. *idem videmus in substantivo* verecundia, *quod in significationem turpitudinis, ignominiae transit (gallicum* vergogne*), ut* **4***v.* paffus verecundiam *i. e. ignomiam,* **6***r.* cum verecundia de templo dei exprobratus exivi *i. e. mit Schande habe ich den Tempel unter Vorwürfen verlaszen müszen. sed* **14***v.* cum verecundia dicere *est mit Sittsamkeit sprechen.* 7) *Vocis* sanctitatem *prima litera teredinibus deleta.* 8) *Hujus vocis prima litera* h *forma minuta superscripta est.*

matriſ et ſaluatoriſ noſtri infancia eſſet conſcripta. Et idcirco per ipſum dominum noſtrum ieſum chriſtum tuam caritatem expetenteſ. quesumus [9]) ut eum ex hebreo latiniſ auribuſ tradaſ. non tam ad percipienda ea. quę sunt chriſti inſignia. quam hereticorum aſtutiam excludendam/ qui ut doctrinam malam inſtruerent. bonę chriſti natiuitati sua [10]) mendacia miſcuerunt/ ut per dulcedinem uitę. mortiſ amaritudinem occultarent. Erit ergo puriſſimę caritatiſ. ut uel tuos roganteſ
2r. fratreſ exaudiaſ/ uel epiſcopoſ exigenteſ caritatiſ debitum. quod idoneum credideriſ | recipere faciaſ. Bene uale in domino/ et ora pro nobiſ.

## Epistola Hieronimi ad quos supra.

DOMINIS ſanctiſ ac beatiſſimiſ cromacio et heliodoro epiſcopis Hieronimuſ exiguuſ chriſti ſeruuſ. ſalutem in domino. Qui terram auri conſciam [11]) fodit. non ilico arripit quicquid foſſa profuderit lacerata. ſed [12]) priuſquam fulgendum ponduſ uibrantiſ iactuſ ferri ſuſpendat [13])/ interim uertendiſ ſupinandiſque [14]) ceſpitibuſ immoratur. ac ſpe alitur [15]) qui nondum lucriſ augetur. Arduum opuſ iniungitur cum hoc fuerit a ueſtra mihi beatitudine imperatum/ quod nec ipſe ſanctus matheuſ
2v. apoſtolus et euangeliſta uoluit in aperto conſcribi. | Si enim non esſet [16]) ſecreciuſ/ euangelio utique ipſi quod edidit addidiſſet. Sed fecit hunc libellum hebraiciſ literiſ obſignatum/ quem uſque ádeo [17]) edidit. ut hodie manu ipſiuſ liber ſcriptuſ. hebraiciſ literiſ a uiriſ religioſiſſimiſ habeatur. qui eum a ſuiſ prioribuſ per ſucceſſvs temporum ſuſceperunt. Hunc autem ipſum librum cum numquam [18]) alicui tranferendum [19]) tradiderint. textum uero eiuſ aliter aliterque narrauerint. ſic factum eſt ut a manichei diſcipulo nomine leucio [20]) qui etiam [21]) apoſtolorum geſta falſo ſermone conſcripſit. hic liber edituſ. non edificationi ſed deſtructioni materiem exhibuerit/ et quod taliſ probaretur in
3r. ſinodo. | cui merito aureſ ęccleſię non paterent. Ceſſet iam nunc oblatráncium morſvs. Non iſtum

---

9) q̅s *codex.* 10) sua *superscriptum.* 11) terram auri consciam *poetice dictum, i. e. terram aurum inclusum et in se reconditum tenentem.* 12) *In exprimenda hac particula librarius usitatam notam* ſ; *adhibere solet, qua non recte intelligi potest utrum* ſet *an* sed *velit. semel tantum verbum integris literis scripsit* sed 14r. *med.: qua re commoti hanc formam et nos in transscribenda nota usurpavimus.* 13) ſuſpendere *hoc loco significat metalla excidere, aperta facere, losarbeiten, bloszlegen, zu Tage fördern.* 14) ceſpites supinare *est supinos collocare, ita vertere ut partes eorum, quae in terra fuerant reconditae et detectae, apertae fiant; ut Vergilius in Georgicis* 2, 261 supinatas aquiloni oſtendere glebas. *praeferendum videtur esse nostrum* ſupinandis *ei quam reliqui codices praebent lectioni* ſuſpendendis: *qua idem verbum uno quasi spiritu iteratur.* 15) *Reliqui codices* ſpecialiter, *quos omnes noster splendidissime vincit. ceterum illius aliorum erroris conscius seu librarius ipse seu corrector quidam inter ambo verba* ſpe *et* alitur, *etsi non continuis literis scripta sunt, signum disjunctionis verborum quasi moniturus posuit.* 16) *Verbi* esſet *prior* s *a correctore adscripta.* 17) uſque adeo *vim restrictionis habet: nur in soweit gab er es heraus, i. e. librum non in publicum edidit, non evulgavit, sed paucis tantum iisdemque religiosissimis dedit, a quibus posteris religiosis traditus est. Tischendorfii codex quem sequitur habet* uſque adeo non edidit, *quo particulae vis intentionis vel confirmationis injicitur: imo non edidit.* 18) numquam *hoc loco et duobus aliis scriptum est* 16v. 21v., *item ter* nunquam 10v. 18r. 24v., *alibi compendio scripturae usus est librarius.* 19) tranferendum *sic, et* 3r. tranferimvs, *sed* transferatur 29v.
20) *De Leucio haeretico egit Joh. Alb. Fabricius in codice apocrypho novi test. passim: locos in indice rerum et verborum s. v.* Leucius *invenies allegatos.* 21) *In tenore scripturae legitur tantum* qui etiam ſcripſit. *quae omisit librarius* apoſtolorum geſta falſo ſermone con *in margine adjecit.*

libellum canonicif nof fuperaddimuf fcripturif/ fed ad detegendam herefeos fallatiam apoftoli atque euangelifte fcripta tranferimvs. In quo opere tam iubentibuf piif[22]) obtemperamuf epifcopif/ quam impiif hereticif obuiamvs.[23]) Amor ergo chrifti eft cui fatiffacimuf/ credentef quod nof fuif orationibuf adiuuent. qui ad faluatorif noftri fanctam infanciam per noftram potuerint obedientiam peruenire.

## Incipit de infancia sancte marie et christi saluatoris.

IN DIEBUS ILLIS erat uir in ifrael[24]) nomine ioachim ex tribu iuda/ et hic | erat paftor ouium [Cap. 1.] 3v.
fuarum. timens deum in fimplicitate. Cui cura nulla erat alia nifi gregum/ de quorum fructu alebat omnes timentef deum/ duplicia offerenf munera in timore dei. et doctrina laborantibuf. et fimplicia offerenf hif qui miniftrabant eif/ fiue in agnif. fiue in hedif. fiue in lanif. fiue[25]) in omnibuf rebuf fuif.[26]) De omnibuf tres partef faciebat/ unam partem danf uiduif. et orphanif. et peregrinif atque pauperibuf/ alteram partem deum colentibuf/ terciam partem fibi et omni domui fue. Hec autem illi facienti multiplicauit deus gregef/ ita ut non esset fimilif ei in populo ifrael. |
Hęc autem inchoauit facere a quinto decimo anno natiuitatif fuę. Cum autem effet annorum 4r.
uiginti/ accepit annam filiam ifachar[27]) uxorem. que erat ex tribu et genere dauid. Cum qua
moratuf per annof uiginti/ filiof non excepit. Factum eft autem ut in diebuf feftif inter eof qui [Cap. 2.]
offerebant incenfum[28]) domino ftaret ioachim/ paranf munera fua in confpectu domini. Et accedenf ad eum fcriba templi nomine ruben[29]) ait. Non tibi licet inter facrificia dei[30]) confiftere/
quia non te benedixit devs. ut daret tibi femen in ifrael. Paffuf itaque uerecundiam[31]) | in con- 4v.
fpectu populi abceffit de templo deiploranf. et non eft reuerfuf in domum fuam fed abiit ad

---

22) piif obtem *in rasura est, versus in marginem productus.* 23) quam impiif hereticif obuiamvs *in tenore scripturae omissum, in superiore paginae margine adscriptum.* 24) *Post* ifrael, *quod in rasura est, breve spatium literis vacuum, quo verbum erasum longius fuisse apparet:* ierufalem *fuisse opinor, quod tres alii codices praebent.*
25) *Particulae* fiue *prior syllaba alia ut videtur manu superscripta, post finem verbi rasura una litera deleta est. sine dubio librarius scripserat* uel. 26) *Totus hic verborum ambitus et constructio non consonat cum reliquis codicibus.*

27) Yfachar *etiam Vatic. apud Tischendorfium, quem deserens cum ceteris* (Achar, Agar, Aquar) *scripsit* Achar· *etiam Hrodsvitha (ed. princ. d3v. med.) Annam vocat* Acharis natam, Dauid de ftirpe creatam. *ceterum* Achar *nomen personae in veteri testamento, quod equidem sciam, non occurrit* (Achan *legimus Jos.* 7, 1 *sqq.* 1 *Paral.* 2. 7; Achor *est nomen vallis Jos.* 7, 24); *sed* Ifachar *est nomen filii Jacob Gen.* 30, 18. 49, 18. *in libro de nativitate Mariae* Ifachar *nomen est pontificis qui Joachim munera in templo offerentem sprevit: v. infra adnot.* 29. *Wernherus poeta nomen patris Annae non indicat, id solum exhibens, fuisse eam* ûz Dâvidis geflehte 151, 20. 28) incensum *vox etiam in Vulgata occurrens significat thus sacrificii loco incensum, Graecorum θυμίαμα. Isidori orig.* 4, 12 incensum dictum quia igne confumitur dum offertur. 29) *Post* ruben *aut litera una aut distinguendi nota erasa videtur. Ceterum hoc nomen* (Ῥουβήν, Ῥουβείμ, Ῥουβίμ) *etiam protevangelium Jacobi c.* 1 *(Thil p.* 166 *c. adnot., Tischdf. p.* 2*) habet. in libro de nativ. Mariae is qui Joachim rejicit est* Ifachar pontifex *(cap.* 2, *apud Thilonem p.* 320, *ap. Tischdf. p.* 107*). hac statim re cognosci potest, ex quo fonte hauserint poetae fabulosam Mariae virginis et salvatoris historiam tractantes.* Ruben *habet Hrodsvitha (ed. princ. d3v. p. med.) et Wernherus* 152, 22: *ergo hauserunt ex nostro de infantia Mariae et salvatoris libro.* 30) *Vox* dei, *quae usitato compendio scripta erat, decolor facta, manu decimi quinti fere seculi partim novo atramento obducta partim denuo sine compendio scripta.* 31) uerecundiam *eadem manu novo atramento obductum adjectis notis super literas* u *quae illo tempore usitatae erant* (ů). *cf. adnot.* 163. *De vi vocis v. adnot.* 6.

pecora ſua/ et duxit ſecum paſtoreſ inter monteſ in longinquum. ita ut [32]) per menſeſ quinque nec
nuntium [33]) de eo audiret uxor eiuſ. Quę dum fleret in oratione ſua et diceret. domine [34]) iam
quia non dediſti mihi filioſ uirum meum quare tuliſti a me? Ecce enim menſeſ quinque fluxerunt [35])
et uirum meum non uideo et neſcio ubi ſit. uel ſi mortuuſ fuiſſet ei ſepulturam facerem. Et dum
nimiſ fleret in uiridiario [36]) domuſ ſuę in oratione [37]) eleuanſ oculoſ ſuoſ ad dominum. uidit nidum
5r. paſſerum | in arbore lauri. et miſit uocem cum gemitu ad dominum dicens. Domine deus omni-
potens qui omni creaturę donaſti liberoſ. et beſtiiſ/ et iumentiſ. et repentibuſ/ et piſcibuſ/ et uolu-
cribuſ/ et omnes ſuper filioſ gaudent/ me ſolam a benignitatiſ tuę dono excludiſ? Tu noſti domine
ab initio coniugii me hoc uouiſſe [38])/ ut ſi dediſſeſ mihi filium aut [39]) filiam obtuliſſem illum [40]) tibi
in templum ſanctum tuum. Et dum iſta diceret [41])/ ante faciem eiuſ aparuit angelus domini
dicenſ. Noli timere anna. quoniam in conſilio dei eſt germen tuum/ et quod ex te natum fuerit
5v. dabitur in admirationem [42]) omnibuſ ſeculis uſque in finem. Et cum hęc dixiſſet ab oculiſ eiuſ
elapſvs eſt. Illa autem tremenſ quod uidiſſet talem uirtutem [43]) et talem ſermonem audiſſet. in-
greſſa cubiculum iactauit ſe in lectum ſuum. et quasi mortua [44]) tota die et tota nocte in oratione
permanſit. Poſt hec autem uocauit ad ſe ancillam ſuam/ et dixit ei. Uideſ me uiduitatem ha-
bentem in anguſtia. et tu nec ingredi ad me uoluiſti [45])? Tunc illa in murmure reſpondenſ ait.
Si deuſ concluſit uterum tuum et uirum tuum a te abſtulit/ ego quid tibi factura ſum? Et hec
6r. audienſ anna ampliuſ | flebat.

[Cap. 3.] In ipſo autem tempore aparuit quidam iuueniſ inter montes ubi ioachim paſcebat gregeſ.
et dixit ei. Quare non reuerteriſ ad uxorem tuam? Et ait ioachim. Per uiginti annoſ habui
eam. nunc uero quia deus mihi noluit dare ex ea filioſ. cum uerecundia [46]) de templo dei expro-
bratuſ exiui/ ut quid reuertar ad eam ſemel eiectuſ? Iam enim hic permanebo cum ouibuſ meiſ/
quamdiu permiſerit me uiuere deus. Per manuſ autem puerorum meorum pauperibuſ et uiduiſ
et orphaniſ et colentibuſ deum parteſ ſuaſ reſtituam. Et cum hec diceret. reſpondit ei iuueniſ
6v. dicenſ. Angelus dei ego ſum. qui aparui hodie | flenti et oranti uxori tuę. et conſolatuſ ſum eam/

---

32) ut *extra versum in margine a librario additum.* 33) Nec nuntium *i. e. ne nuntium quidem.* 34) *Vox* domine *in margine a librario adjectum est.* 35) *In verbo* fluxerunt *litera* x *librarii manu superscripta.*

36) in viridiario domus ſuæ *in ihrem Hausgarten.* viridiarium *vel* viridarium *est hortus viridibus arboribus et fruticibus amoenus* 37) inorati|ne *codex. litera* o *negligentia librarii omissa.* 38) *Inter* o *et* u *verbi* uouiſſe *litera una erasa. scripserat sine dubio librarius* uoluiſſe. 39) *Litera* t *vocis* aut *superscripta.* 40) illum *omissum erat, in margine a librario adjectum est.* 41) *Super verbum* diceret *alia manu scriptum est* l dixiſſet. 42) *Vocis* admirationem *maxima pars manu seculi decimi quinti novo atramento obducta est et super literas* i *puncta posita sunt.*

43) talem virtutem *i. e. tale miraculum. reliqui codices* talem visionem. *Ceterum significatio miraculi, quam habet hoc quidem loco vox* virtus, *passim in vulgata bibliorum versione et apud Hieronymum occurrit, unde trita facta est scriptoribus posteriorum temporum. orta videtur a vertendo graeco verbo δύναμις, cui illa vis inest in scriptis novi testamenti, ut apud Marcum* 6, 5 *οὐκ ἠδύνατο ἐκεῖ οὐδεμίαν δύναμιν ποιῆσαι, quod est in vulg. vers.* non poterat ibi virtutem ullam facere. 44) quasi mortua *hyperbolice dictum pro fixa, immobilis. Wernherus poeta duriorem hunc loquendi modum molliens reddit locum* 155, 21 *sq.* jâ was ir an der ſelben zît als einem man der gelît begrifen mit ſwârem troume ſlâfend under einem boume. 45) *Prior* i *hujus vocis forma minuta superscripta est.* 46) *Vide adnot.* 6.

quam fciaf ex femine tuo concepiffe filiam. Hec erit templum dei et fpirituf[47]) fanctus requiefcet
in ea. et erit beata fuper omnef feminaf fanctaf. ita ut multi dicant. quia nulla fuit talif aliquando
ante eam. et poftea non erit fimilif ei. Defcende ergo de montibuf et reuertere ad coniugem
tuam et inuenief eam habentem in utero[48]). Excitabit enim deus femen in ea et faciet eam ma-
trem benedictionif ęternę. Et adoranf[49]) eum ioachim dixit ei. Si inueni gratiam[50]) coram te.
fede modicum in tabernaculo meo. et benedic me feruum tuum. Et dixit ei angelus. Noli te
dicere | feruum sed conferuum meum. uniuf enim domini ferui fumuf. Nam cibuf meus inuifibilif 7r.
est/ et potvs meus ab hominibuf[51]) mortalibuf uideri non poteft/ et ideo non debef me rogare
ut intrem in tabernaculum tuum/ fed quod mihi eraf daturuf. offeref facrificium[52]) deo. Tunc
ioachim accepit agnum immaculatum/ et dixit ad angelum. Ego non aufvs[53]) effem offerre holo-
cauftum deo. nifi tua iuffio daret mihi pontificium offerendi. Et ait angelus. Nec ego te ad
offerendum hortarer. nifi uoluntatem domini cognouiffem. Factum eft[54]) autem cum offerret[55]) 7v.
ioachim deo facrificium. fimul cum odore facrificii quafi cum fumo perrexit angelus ad | celum.[56])
Tunc ioachim cecidit in faciem. et ab hora diei fexta vsque ad uefperam iacuit. Uenientef autem
pueri eiuf et[57]) mercennarii. nefcientef quę caufa effet expauerunt. putantef quod fe ipfe uellet
interficere. uix eleuauerunt eum[58]). Quibuf cum enarraffet et audirent. ftupore nimio et admira-
tione impulfi. hortabantur eum ut fine mora iuffum angeli perficeret. atque uelociter ad fuam
coniugem remearet. Cumque nutaret[59]) ioachim et animo fuo difcuteret fi reuerti deberet/ factum
eft ut fopore teneretur. Et ecce angelvs qui ei aparuit uigilanti. aparuit ei in som|no dicenf. 8r.
Ego fum angelus qui a domino datuf fum tibi cuftof. Defcende fecuruf et reuertere ad annam/
quia mifericordię[60]) quas fecifti tu et uxor tua in confpectu altiffimi recitatę sunt. et tale uobif
datur germen quale numquam ab inicio nec prophete aut fancti[61]) habuerunt neque sunt habituri.[62])

Et factum eft dum euigilaret ioachim uocauit ad fe omnef qui pafcebant greges fuof et indi-
cauit eif fomnium fuum. At illi adorauerunt dominum et dixerunt. Uide ne ultra contemnas
angelum dei. fed furge proficifcamur. et lento gradu pafcentef eamvs. Cumque per dief triginta
ambulantef perueniffent[63]). aparuit anne in oratione ftanti angelus domini | dicenf ei[64]). Uade ad 8v.
portam que aurea[65]) uocatur et occurre uiro tuo. quoniam ueniet ad te hodie. At illa feftinanter

---

47) fpc *codex.* 48) *i. e. gravidam.* 49) ad|doranf *cod* 50) *In scribenda hac voce in nostro libro semper compendio usus est librarius, quare intellegi non potest volueritne* ti *an* ci: *scripsimus ubique* ti. 51) abominibuf *cod. superscripta loco suo litera* h *forma minuta.* 52) *Super* facrificium *alia manu scriptum legitur* l holocauftvm. 53) *Scripserat librarius* auf *adjecta nota ad significandam syllabam* uf. *ab alio nota deleta syllaba* vs *superscripta est.* 54) eft *ab ipso librario superscriptum.* 55) *Prima* r *a librario superscripta.* 56) *Punctum in codice desideratur.* 57) et *superscriptum.* 58) *i e. vix elevare eum potuerunt, quia visione angeli attonitus et totus in cogitatione defixus erat. reddit Hrodsvitha locum (ed. princ. d3r. fin.)* ipfum percerte sed vix potuere leuare.
59) nutaret *i. e. haesitaret.* 60) mifericordiae *sunt opera misericordiae, eleemosynae et beneficia misericordi animo distributa.* 61) aut fancti *a librario superscriptum.* 62) *Punctum in codice desideratur.* 63) *Verbi* perueniffent *literae* nif *fere totae deletae.* 64) *Vox* ei *superscripta.* 65) *Exit primus paginae versus in syllabam* au *vocis* aurea. *ut disjunctio vocis significaretur, super literam* u *punctum duplicatum, id quod colon vocamus, positum*

perrexit cum puellis suis! et cepit in ipsa porta stans orare et diutius exspectare. Et cum longa exspectatione deficeret[66])! eleuans oculos suos. uidit ioachim uenientem cum pecoribus suis! et cucurrit anna et suspendit se in collo eius. agens deo gratias dixit. Uidua eram! et ecce iam non sum. Sterilis eram. et ecce concepi. Et factum est gaudium magnvm[67]) omnibus notis et affinibus[68]) eorum. ita ut uniuersa terra et affines de ista fama gratularentur.[68a])

[Cap. 4.] 9r. **P**ost hęc autem expletis mensibvs nouem | peperit ei anna filiam. et uocauit nomen eius Mariam.[69]) Cum ergo tercio anno[70]) perlactasset[71]) eam. abierunt simul ioachim et anna uxor

---

*est. Ceterum portae aureae Hierosolymitanae mentionem facit Burchardus monachus in descriptione terrae sanctae, ante med. sec.* 13 *composita (Canisii thes. ed. Basnage tom.* 4 *pag.* 21*) his verbis*: Septima est porta aurea. hæc est australis. hæc non ducebat in civitatem immediate sed in templum per compendium de monte oliveti per testudinem quandam factam ultra vallem Josaphat, et inter hæc erat porta templi speciosa valde. 66) *i. e. vires et spem amitteret.*

67) magnv *superscriptum est a correctore ut videtur.* 68) *Vocis* affinibus *litera* f *prior superscripta.*

68 a) *Quae tribus primis libri nostri capitibus narrantur habes in Hrodsvithae carmine ed. princ.* d3r. — d5v. *p. med., apud Wernherum ed. Hoffm.* 149, 41 — 159, 35. *auctor carminis quod Passionale vocatur in enarrandis his rebus* 5, 69 — 8, 38 *ed. Hahn. secutus est librum de nativitate Mariae cap.* 1—3*; idem facit auctor carminis latini rythmice scripti quem imitati sunt Philippus Cartusianus v.* 23—328 *ed. Rückerti et Waltherus Reinaviensis* 5, 25 — 15, 2 *ed. Kelleri.*

69) *In libro de nativitate Mariae legimus c.* 5 *fin., post partum parentes infantem vocasse Mariam* juxta mandatum angelicum. *narratur enim c.* 3 *et* 4 *hujus libri, angelum in apparitione sua hoc de nascitura filia praeceptum et Joachim et Annae dedisse. in nostro libro Anna mater filiam Mariam vocat quasi sua ipsius auctoritate: re vera etiam angelus hac de re nihil praeceperat. eadem fere narrantur in protevangelio Jacobi. nomen infantulae datur a matre non multo post partum purgatione facta (c.* 5 *fin. Thil. p.* 190. *Tischdf. p.* 11 πληρωθεισῶν δὲ τῶν ἡμερῶν ἀπεσμήξατο Ἄννα καὶ ἔδωκεν μασθὸν τῇ παιδὶ καὶ ἐπωνόμασε τὸ ὄνομα αὐτῆς Μαριάμ, *ubi unus codex isque optimae notae Venetus sec.* 10 *tempus accuratius indicans addit* τῇ ἡμέρᾳ τῇ ὀγδόῃ*). deinde c.* 6 *narrantur haec. primo aetatis anno confecto quum diem natalem infantulae celebrarent parentes, sacerdotibus scribis primoribus toto populo convocatis, affert infantulam pater sacerdotumque principes eam benedicere jubet. quo facto Anna mater hymno deum celebrat omnesque item collaudantes deum convivio finito laetabundi discedunt. addunt duo codices* καὶ ἐπέθηκαν αὐτῇ ὄνομα Μαριάμ, *cum quibus consentit versio Postelli* et posuerunt illi nomen Mariam *(Tischdf. p.* 13 *in apparatu, Thilo p* 199*). haec omnia in nostro de infantia libro desiderantur, item apud Wernherum (cf. p.* 160*). sed memoratu dignum videtur Hrodsvitham, aliis quidem locis nostrum librum sequentem, hoc loco adjecisse quaedam similia iis quae in protevangelio narrantur. habet enim haec (ed. princ.* d5v. *p. med.)*:

Post hec noueno percerte mense peracto
venit sum̄na dies, in qua prenobilis Anna
progenuit natam cunctis seclis venerandam.
postque dies octo primi venere vocati
pontifices, tantæ solito qui more puellæ
nomen et aptarent, ipsam quoque sanctificarent.
quis Ioachim preculas fudit presentibus istas.
'rex cœli stellis solus qui nomina ponis,
istius teneræ nomen dignare puellæ
cœlitus indiciis per te monstrare coruscis!'
dixerat et subito sonuit vox fortis ab alto
mandans ægregiam Mariam vocitare puellam,
stella maris lingua quod consonat ergo latina.
hoc nomen merito sortitur sancta puella,
est quia preclarum sydus quod fulget in æuum
regis æterni claro dyademate christi.

*mira sane haec. habuitne in manibus poetria seu quisquis fuit auctor codicem libri infantiae, in quo haec legebantur? an*

eiuſ ad templum domini / et offerenteſ hoſtiaſ domino tradiderunt infantulam ſuam Mariam in contubernium uirginum. quę die noctuque in dei laudibuſ perſeuerabant.[72] Quę cum poſita eſſet ante templum. quindecim graduſ templi ita curſim aſcendit ut penituſ[73] non reſpiceret. neque ut ſolitum eſt infancię parenteſ requireret. In quo facto omneſ ſtupor tenebat ita ut ipſi[74] pontificeſ templi mirarentur. Tunc anna repleta ſpiritu ſancto / in conſpectu omnium dixit. Dominuſ [Cap. 5]
deus exercituum memor eſt factuſ uerbi ſui et uiſitauit populum ſuum uiſitacione ſancta ſua. ut gentes quę inſurgebant in noſ humiliet | et conuertat ad ſe corda eorum. Aperuit autem deus 9v.
aureſ ſuaſ ad preces noſtraſ et excluſit a nobiſ inſultationeſ inimicorum noſtrorum. Sterilıſ facta eſt mater. et genuit exultationem et leticiam in iſrael. Ecce potero offerre munera domino / et non poterunt me prohiberi inimici mei. Dominuſ enim auertit eoſ a me / et dedit mihi gaudium ſempiternum.

---

*ex alio fonte haec hausit et ex quo? oraculum hoc ejus generis esse videtur quod et in Mischna et in Talmude a Judaeis vocatur* bat-kol *(i. e. filia vocis, non vox ipsa sed verae vocis echo), temporibus prophetas subsequentibus prophetiam supplens: cf. Zunzium in Zeitschrift für die Wissenschaft des Judentums I* (1823), 514 *sqq. et das Buch Kusari des Jehuda ha-Levi ex edit. H. Jolowicii et D. Casseli* (1841) *p.* 141. 220. 270. 304. *ceterum et in his versibus Hrodsvithae et illa quam supra citavimus varia lectione codicis Veneti, octavum post partam infantulam purgationis diem statuentibus, confunduntur quae de purganda puerpera post ortum pueri aut puellae praescripta sunt diversa Levit.* 12, 2–5: mulier ſi pepererit maſculum, immunda erit ſeptem diebus . . . et die octavo circumcidetur infantulus . . . ſin autem fœminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus. 70) anno *superscriptum.* 71) perlactaſſet *cum nostro habent duo Parisienses Thilonis,* ablactaſſet *ambo Tischendorfii Vaticanus et Laurentianus; Hrodsvitha (ed. princ. d6r. init)* ablactando piam genitrix de more Mariam. ablactaſſet *jam Thilo conjectura in textum receperat, vitiosam putans illam codicum suorum scripturam. minime vero mihi videtur vitiosa haec scriptura, modo observes vim particulae* per. ablactare infantem *est a lacte depellere, ein Kind zu stillen aufhören, es entwöhnen. idem fere declarat* perlactare, *levi tantum discrimine interposito nam quum particula* per *significet actionem continuatam a principio ad finem,* perlactare *est lactare ad finem, zu Ende stillen, fertig stillen. ceterum verbum* ablactandi *scriptoribus latinis classicis prorsus ignotum esse videtur. occurrit in vulgata bibliorum versione passim, ut Genes.* 21, 8 crevit igitur puer et ablactatus eſt, fecitque Abraham grande convivium in die ablactationis ejus; 1 *Sam.* 1, 21 non vadam donec ablactetur infans; *Esaiae* 28, 9 quem docebit scientiam et quem intelligere faciet auditum? ablactatos a lacte, avulſos ab uberibus. *quem locum laudat Hieronymus in epist. ad Eustochium virginem (epist.* 108 *ap. Vallars. tom.* 1 *col.* 709 *med.) ita:* qui ablactati eſtis a lacte, qui abſtracti ab ubere, tribulationem ſuper tribulationem exſpectate, ſpem ſuper ſpem, *adjiciens:* ſcripturae teſtimonium in conſolationem ſuam ediſſerebat, ablactatorum eſſe, eorum ſcilicet qui ad virilem ӕetatem perveniſſent, tribulationem ſuper tribulationem ſuſtinere, ut ſpem ſuper ſpem mereantur accipere. *substantivum* ablactatio *(Entwöhnung) occurrit in Genesi loco supra laudato et in libro de nativitate Mariae cap.* 4 *et* 6 *(apud Thilonem p.* 325 *sq., apud Tischendorfium p.* 109*) sed his locis miro quodam modo usurpatum. legimus enim cap.* 4 *(sunt verba angeli):* hæc a nativitate ſua ſtatim domini gratia plena, tribus ablactationis suæ annis in domo paterna permanebit. *scribi debuit aut* tribus lactationis ſuæ annis *(si exstat utique vox lactatio) aut* tribus uſque ad ablactationem ſuam annis. *potius excusari potest quod legimus in initio capitis* 6 cumque trium annorum circulus volveretur et ablactationis tempus completum eſſet. *et haec quidem de verbo* ablactandi. *quod ad* perlactandum *attinet, hujus vocabuli praeter nostrum locum testes prorsus non habeo, videtur esse eximiae raritatis.* 72) *In templo Hierosolymitano filias quasi in honorem dei consecrari ibique educari solitas esse, a posterioribus fictum est ad probandam rem vitamque monachicam. videas quae adnotavit Thilo ad hunc locum p* 349 *sq. Ceterum de Maria tres annos nata in templum educanda delata narrant Hrodsvitha ed. pr. d5v. fin. et d6r, Wernherus* 160, 37 — 161, 29, *auctor Passionalis* 8, 76 — 9, 25, *qui tamen* 9, 3 *quot annos Maria tunc nata fuerit ignorare se confitetur. bis Mariam in templum esse delatam tres et septem annos natam tradunt Philippus* 425 *sqq.* 499 *sqq. et Waltherus Reinav* 19, 3 *sqq.* 21, 26 *sqq.* 73) *Post* penituſ *rasura est, quinque fere literae deletae sunt. vocem deletam* retro *fuisse puto.* 74) ipſi *a librario superscriptum.*

[Cap. 6.] Erat autem maria in admiracione omnibuſ. Quę cum trium eſſet annorum ita maturo greſſu
ambulabat/ et perfectiſſime loquebatur. et in dei laudibuſ ſtudebat/ ut non infantula eſſe puta-
retur ſed magna/ et quaſi triginta annorum iam eſſet ita orationibuſ inſiſtebat. Et reſplendebat
10r. facieſ eiuſ [75]) ut uix potuiſſet quis in uultum eiuſ adtendere. Inſiſ|tebat [76]) enim in lanifico opere.
et omnia quę muliereſ antiquę facere non potuerunt/ iſta in tenera etate poſita explicabat. Hanc
autem ſibi ipſa [77]) regulam ſtatuerat/ ut a mane uſque ad horam terciam orationibuſ inſiſteret/ a
tercia uero uſque ad nonam textrine ſe in opere occupabat. A nona uero hora iterum ab ora-
tione non recedebat. uſque dum illi angelus domini appareret de cuiuſ manu eſcam [78]) acciperet.
et meliuſ atque meliuſ in dei laudibuſ [79]) proficiebat. Denique cum maioreſ uirgineſ ſuaſ in dei
10v. laudibuſ proficere conſpiceret/ zelo nimio bonitatiſ ſatagebat ut in uigiliiſ inueniretur | prior. in
ſapientia legiſ dei eruditior. in humilitate [80]) humilior. in carminibuſ dauiticiſ elegantior. in cari-
tate gratioſior. in puritate purior. in omni uirtute perfectior. Erat enim conſtanſ et immobiliſ
et cotidie melior atque melior tranſiebat [81]). Hanc nemo iraſcentem uidit. hanc maledicentem
nunquam [82]) ulluſ audiuit. Omniſ ſermo eiuſ ita erat gratia plenuſ. ut cognoſceretur deus in
lingua eiuſ. Semper in oratione et ſcrutatione legiſ dei permanebat. et erat ſollicita circa ſociaſ
ſuaſ. ne aliqua ex eiſ uel in uno ſermone peccaret. nec aliqua in riſu exaltaret ſonum ſuum [83]). |
11r. nec aliqua in iniuriiſ aut ſuperbia circa parem ſuam exiſteret [84]). Sine intermiſſione benedicebat
deum. et ne forte uel [85]) in ſalutatione ſua a laudibuſ domini tolleretur. ſi quis eam ſalutaret.
illa pro ſalutatione [86]) deo gratiaſ reſpondebat. Denique ab ea primum exiit. ut dum reſalutant
homineſ ſancti. deo gratiaſ dicant. Cotidie autem eſca quam de manu angeli accipiebat ipſa tan-
tum reficiebatur/ eſcam uero quam a pontificibuſ templi conſequebatur [87]) pauperibuſ diuidebat

---

75) *Post* eius *tres fere literae erasae. particulam* ita *deletam puto.* 76) *Scripserat librarius* Inſiſtebant, *sed delevit literam* n *punctis positis.* 77) *Vox* ipſa *minutioribus literis a librario superscripta.* 78) *Vox* eſcam *alia manu superscripta.* 79) *Super vocem* laudibuſ *alia manus sane emendans scripsit* l amore. laudibus *lapsu oculorum e sequentibus a librario sumptum esse videtur. etiam duo Parisienses Thilonis (pag.* 353*) habent* amore, *Tischendorfii codices vero* in opere dei. 80) *Vocis* humilitate *syllaba* li *librarii manu superscripta.* 81) tranſiebat *sic. Ceterum* transiebat *non eodem prorsus sensu usurpatum est quo exsistebat vel fiebat, sed ampliore, progressum bonitatis magis significante: sie ward täglich fortschreitend immer beszer und beszer.* 82) nunquam *sic. vide adnot.* 18.

83) *i. e. ridens sonum vocis suae augeret, sonum exaltatiorem proferret: dasz ja keine beim Lachen ihre Stimme zu laut werden liesze.* 84) *Vertas: und dasz auch keine in Beleidigungen oder Hochmut gegenüber einer ihres gleichen hervorträte, mit Bel gegen eine aufträte.* exiſtere *habet hoc loco propriam suam vim exeundi, hervortreten, auftreten. quod qui exaravit Vaticanum, seu prior quem secutus est, neglexit et* exiſtere *hoc loco pro* eſſe *vel* fieri *positum et verbo praedicatum apponendum esse putans, hunc in modum scripsit* aut aliqua injuria aut ſuperbia circa parem ſuam exiſteret elata. *alio modo peccaverunt Parisienses Thilonis, qui quidem quid vox* parem *velit non intellegentes inepte scripserunt* ne aliqua in iniuriis aut in ſuperbia (*al.* iniurioſa aut ſuperba) circa patrem ſuum aut matrem (*al.* erga p ſ aut in m.) exiſteret. *apud Vincentium Bellovacensem lib.* 6 *cap.* 66 *(edit. Venet anni* 1494 *fol.* 62*v.) locus noster ita legitur* ne aliqua iniurioſa vel ſuperba circa parem ſuam exiſteret. *omnes eo quo locum emendare student modo nostram lectionem veram esse confirmant. Wernherus poeta theotiscus nostrum locum non ad verba reddit sed per circuitum loquitur ita* 164, 36 *sqq.* alle ir hûsgnôzinne die ſtarhte ſi in der minne, daz ſie die ubermuote erſluogen mit der guote und allez unreht vermiten: ze alſô lûterlichen ſiten chêrte ſie diu ſuoze. 85) uel *superscriptum.* 86) pro reſalutatione *Vinc. Bellov. l. c. solus.* 87) eam uero que a pontificibus tribuebatur *Vinc. Bellov. l. c.*

Frequenter uidebant cum ea angelos loqui/ et quasi kariſſimi [88]) eiuſ obtemperabant ei. Si quis uero ex infirmiſ tetigiſſet eam ſaluuſ ab ea eâdem hora reuertebatur. [89]) |

Tunc abiathar [90]) ſacerdoſ obtulit infinita munera pontificibuſ. ut acciperet eam filio ſuo 11v. [Cap. 7.]
tradendam uxorem. Prohibebat autem eoſ maria dicenſ. Non poteſt fieri ut cognoſcam uirum/ aut me uir cognoſcat. Et dicebant ei pontificeſ [91]) et omneſ affineſ eiuſ. Deus inuiſibiliſ in filiiſ [92]) colitur et in poſteriſ adoratur/ sicut ſemper fuit in iſrael [93]). Et reſpondenſ maria dixit eiſ. Deus in caſtitate primo omneſ probat. quomodo adoretur. Nam ante abel nulluſ fuit iuſtuſ inter homineſ. et hic pro oblatione placuerat deo/ et fratri diſplicuit a quo et occiſuſ eſt. Duaſ tamen [94]) coronaſ accepit | oblationiſ et uirginitatiſ [95]). quia nullam pollutionem in ſua carne ad- 12r.
miſit. Denique et heliam ideo cum eſſet in carne aſſumpſit. quia carnem ſuam uirginem cuſtodiuit [96]). Hec ergo in templo dei didici ab infancia mea quod deo ſatiſ cara poſſit eſſe uirginitas. et ideo hoc ſtatui in corde meo ut uirum penituſ non cognoſcam. [97])

Factum eſt [98]) autem ut quartuſ decimuſ annuſ eam exciperet. [99]) et eſſet occaſio quę pha- [Cap. 8.]
riſeoſ faceret dicere. iam pro conſuetudine feminea in templo dei illam morari non poſſe. et in-

---

88) kmi *codex noster*, chariſſime *Vinc. Bellov. l. c.*, cariſſime *Paris.*, et diligentiſſime *cod. Tischend. vincuntur ceteri nostro.* 89) *Totum hoc caput, in quo copiose et abundanter enarrantur quae in protevangelio Jacobi simplicissimis iisdemque gravissimis verbis exprimuntur his (cap.* 8 *init. apud Thilonem p.* 202, *ap. Tischdf. p.* 15*) ἦν δὲ Μαρία ἐν τῷ ναῷ κυρίου ὡς περιστερὰ νεμομένη καὶ ἐλάμβανεν τροφὴν ἐκ χειρὸς ἀγγέλου, mores monachicos et cultum Mariae quasi perfectissimae jam a prima aetate monialis acerrime redolet, ut quo consilio fictum sit facile perspiciatur. Ceterum haec habes apud Hrodsvitham ed. princ. d6v. et 7r. in., apud Wernherum* 163, 25—165, 29. *Cf. Passionale* 9, 26—56. 10, 35—82, *Philippus Cartusianus* 558—887, *Waltherus Reinaviensis* 21, 36—33, 22. 90) Abiathar *recte noster cum primo Parisiensi. eandem nominis formam habent Hrodsvitha in hist. beatae virginis (ed. princ. fol. d8r.) et Wernherus (Hoffm. Fundgr.* 2, 165, 32*). ceterum nomen hoc sacerdotis occurrit* 1 *Reg.* 1, 7. 19. 25. 42. 2, 26. 1 *Sam.* 22, 20. 23, 6. 91) *Verbi* pontificeſ *litera* n *superscripta.* 92) *Scripsit librarius* in filiiſ inuiſibiliſ, *sed collocationem verborum mutandum esse literis* a *et* b *superscriptis notavit.* 93) *Cf. Prov.* 17, 6. *Psalm.* 127, 3 *sqq.* 128, 3 *sqq.*
94) tamen *praebet noster et alter Parisiensis, Tischendorfius cum suis* itaque, *quod veri similius videtur. sed defendi potest* tamen *hoc modo interpretanti: quamquam displicuit fratri et ab hoc occisus est, a deo tamen de oblatione aliter judicante coronatus est.* 95) *Sensus horum verborum simplicissimus esse videtur. duplicem coronam adeptus est Abel, unam pro oblatione i. e. pro muneribus pio puroque animo oblatis, alteram pro virginitate per vitam suam conservata. sed si accuratius inspexeris, ambo idem valent, unum altero continetur. oblationem talem facere potuit, quia virgo erat. itaque aliam vim verbo* oblationis *hoc quidem loco inesse suspicor, scilicet oblationis sui ipsius, vitae suae, quae primam illam oblationem primogenitorum gregis consecuta est, quia ob illam a deo grate acceptam fratris manu occidit et quasi martyrium pro deo passus est. ergo* oblatio *hoc loco significare videtur martyrium. accepit coronam duplicem et martyrii et virginitatis. testes hujus interpretationis habeo et Hrodsvitham et Wernherum. illa quidem locum nostrum ita reddit:* ſcimus Abel duplam merito ſumpſiſſe coronam, qui primus mundo juſtus fuerat protoplaſtor: unam martyrii fratris de cede peracti, atque magis nitidam pro virginitate ſecundam. *Wernherus vero habet*: got îlte im geben ze lône zwô guldîne chrône, von der martir eine, die ander daz er reine unt unbewollen was: daz ist dâ er mite gnas.
96) *Et Abelem et Eliam virgines mansisse nullo scripturae sacrae loco probatur, sed haec opinio est posteriorum, virginitatis exempla jam inter homines veteris testamenti quaerentium. Hieronymus de Abelis virginitate nihil habere videtur, sed Eliam vocat virginem in epistola de custodia virginitatis ad Eustochium (ed. Vallars. ep.* 22 *tom.* 1 *col.* 104 *med.) eundemque Epiphanius haer.* 79, 5 *(ed. Petav.* 1062 *B).* 97) *Quae hoc capite narrantur neque inveniuntur in protevangelio Jacobi neque in libro de nativitate Mariae. nostrum librum apocryphum e poetarum numero secuti sunt Hrodsvitha (ed. princ. d7r.) et Wernherus presbyter* (165, 30—167, 20), *aliorum nullus.* 98) eſt *superscriptum.* 99) *Mariam*

uentum eſt tale conſilium ut mitteretur preco per omneſ tribuſ iſrael. et omneſ die tercia ad
12v. templum | domini conuenirent. Cum autem uniuerſuſ populus conueniſſet. ſurexit iſachar pontifex [100]) et aſcendit in altiorem gradum ut ab omni populo et uideri et audiri potuiſſet. factoque magno ſilentio dixit. [101]) Audite me filii iſrael et auribuſ percipite uerba mea. Ex quo templum hoc a ſalemone [102]) edificatum eſt fuerunt in eo regum filię et prophetarum et ſummorum ſacerdotum et pontificum. et ſumme ac mirabileſ exſtiterunt [103]). tamen uenienteſ ad legitimam ętatem uiroſ ad coniugium adeptę sunt. et ſecutę primarum [104]) ordinem ſuarum et domino placuerunt.
13r. a ſola uero maria nouvs ordo tacendi [105]) inuentuſ eſt. | quę promittit deo ſe uirginem cuſtodire. Unde mihi uidetur ut interrogatione noſtra et reſponſo dei agnoſcere ſtudeamuſ. cui debeat cuſto-

---

tredecim annos aetatis complevisse et quartum decimmu ingressam esse quum desponsaretur, ut habet liber noster consentientibus omnibus codicibus, item liber de nativitate Mariae cap. 7 (Thil. p. 328, Tischdf. p. 110), etiam orthodoxorum fixa semper opinio erat teste Baronio in apparatu ad annal. eccles. XLVIII (tom. 1 ed. Mogunt. p. 22). sed secundum protevangelium Jacobi c. 8 (Thil. p. 202. Tischdf. p. 16) Maria tunc fuit δωδεκαετής, et secundum historiam Josephi arabicam c. 3 (Thil. p. 11. Tischdf. p. 117) duodecim annos impleverat: id quod orientalibus magis quam occidentalibus hominibus convenire videtur. quod ad posteriorum aetatum scriptores attinet, illam orthodoxorum opinionem secuti sunt qui composuit circa medium fere seculum decimum tertium carmen theotiscum quod Passionale vocatur (vide locum in Hahnii edit. 10, 87 unz daz ſî mit dem alder trat iezû inz vierzênde jâr), eodem fere tempore Vincentius Bellovacensis in Spec. histor. lib. 6 cap. 72 (ad XIV pervenit annum) laudans Hieronymum i. e. librum de nativitate Mariae Hieronymo false adscriptum, et exeunte seculo eundem librum sequens Jacobus a Voragine in hist. Lombard. cap. 131 s. 126 (quarto decimo ætatis ſuæ anno: ed. Grässe p. 589 p. in.) Wernherus noster (anno 1172) certam virginis aetatem non indicat, parum accurate dicens 165, 30 dô ſie wahſen begunde. leviter auxit eam jam Hrodsvitha: poſtquam bis ſeptem totos compleverat annos. eandem fere aetatem virgini tribuunt duo poetae theotisci, qui exeunte fere seculo decimo tertio carmina de vita Mariae composuerunt, ex uno eodemque fonte haurientes, carmine scilicet latino rythmicis versibus consonantibus scripto, Philippus monachus Cartusianus (v. 890 edit. Rückerti dô funfzên jâr Marjâ die maget was worden) et Waltherus Reinaviensis (33, 24 edit. Kelleri dô Marjâ die clâre was in dem fünfzehenden jâre). 100) Verbi pontifex litera n superscripta. 101) Post dixit versus integer nescio quid continens erasus. 102) ſalemone sic. ceterum sex verba a voce ex usque ad hanc a librario in margine adscripta et trinis punctis loco suo adjudicata sunt.

103) Quae dicit hoc loco pontifex de genere filiarum in templo optime educatarum in nostro tantum libro apocrypho occurrunt, neque in protevangelio Jacobi neque in libro de nativitate Mariae leguntur. inde qui hunc nostrum secuti sunt poetae eadem habent, ut Hrodsvitha (ed princ. d7v. init) ætate tenellæ natæ nobilium, famoſo germine regum atque ſacerdotum, vatum pariterque piorum, quæ celebres omni merito manſere popello, et Wernherus 167, 37 sqq. wir haben frouwen vil gezogen, kunige tohtr unt herzogen, der hêrlîchen ſlahte, daz uns nie deheiniu in der ahte alſô vil ie gemuote, und iedoch vil grôzer guote ze rede wâren worden von allen ir vordern. sed etiam in carmine magistri cujusdam Heinrici, quod deperditum dolemus, (scripserat carmen exeunte fere sec. 12) eadem fuisse Cuonradus Fuozesbrunnensis in poemate suo de infantia Jesus composito testatur his versibus (ed. Hahn 68, 46 sqq.) er (scil. meister Heinrîch) beſcheidet uns mêre von der meide hêre, wie ſie zuo dem templo wart gezogen. dâ chünige unde herzogen unt ander edele herren nâhen unde verren ir tohter bâten lêren ſwaz ze zuhten unde zêren unt ze wîbes tugent gezôch. quibus ex versibus efficitur Heinricum illum libri apocryphi nostri, quem hic tractamus, aliquam recensionem in componendo carmine esse secutum. 104) Reliqui habent priorum i. e. earum quae prioribus temporibus in templo educatae fuerant. nostra quidem lectio non prorsus repudianda, quippe quum primus saepius dicatur de priore et loco et tempore et de hominibus qui priores vixerunt; sed tamen locum emendandum esse puto. variae enim lectiones ambae et priorum et primarum fluxisse videntur e vera primorum, quae vox a librariis genetivus pluralis gen. masc. vocis primus habebatur ideoque sensu genus femininum flagitante corrigebatur, re autem vera est genet. plur. fem. cujus vocabuli sitne primor an primoris nomin. singul. dubitant viri docti. ergo primores hoc loco sunt Vorgängerinnen et vertas ſecutae primorum ordinem ſuarum sie sind der Regel ihrer Vorgängerinnen gefolgt, sie haben es gerade so gemacht wie ihre Vorgängerinnen. 105) tacendi noster solus, Paris. placendi domino, codices Tischdfii vivendi. Hrodsvitha d7v. a. med.

dienda [106]) committi. Tunc placuit iſte ſermo omni ſynagoge et miſſa eſt ſorſ a ſacerdotibuſ ſuper
duodecim tribuſ iſrael. et cecidit ſorſ ſuper tribum iuda. Et admonuerunt [107]) omneſ tribum iuda
dicenteſ. ut ſequenti die quicumque sine uxore eſſet ueniret uirgam deferenſ in manu ſua. Unde
factum eſt ut ioſeph cum iuuenibuſ ſenior uirgam deferret. Cumque tradidiſſent omneſ pontifici
uirgaſ ſuaſ. obtulit ſacrificium et interrogauit dominum. Et dixit ad eum dominuſ. Intromitte
omnium uirgaſ | intra ſancta ſanctorum et ibi maneant omneſ uirge. et precipe eiſ ut mane 13v.
ueniant ad te ad recipiendaſ uirgaſ ſuaſ. Ex cacumine uirgę egredietur columba. et volabit ad
cęloſ. In cuiuſ manu uirga reddita hoc ſignum dederit. ipſi trade mariam cuſtodiendam. Factum
eſt autem ut altera die maturiuſ uenirent uniuerſi. et facta oblatione incenſi. ingreſſvs [108]) pontifex
ſanctuarium. in ſancta ſanctorum protulit uirgaſ. Cumque erogaſſet ſingulaſ [109]). et ex nulla
uirga columba exiſſet. induit ſe abiathar pontifex duodecim tintinnabula. et ingreſſuſ cum thiâra
ſancta ſanctorum incendit ſacrificium et effudit | illic orationem ſuam. Aparuit autem angelus 14r.
domini et dicit ei. Hęc eſt uirga breuiſſima quam pro nichilo computaſti. et non illam cum
cęteris protuliſti. Hanc cum protuleriſ et dederiſ*!* ipſa demonſtrabit ſignum quod locutuſ ſum
tibi. Erat autem hec uirga ioseph. ſed pro abiecto habitu quoniam ſenex erat et non poſſet
accipere eam*!* ſed [110]) nec ipſe requiſierat uirgam ſuam. [111]) Cumque | ſtaret ultimuſ et humiliſ 14v.
uoce magna clamauit ad eum abiathar pontifex dicenſ. Ueni et accipe uirgam tuam. Et acceſſit
ioseph expaueſcenſ quod ſummuſ pontifex cum nimio eum clamore uocaret. Mox autem cum
extendit manum et uirgam accepit. ſtatim de [112]) cacumine eiuſ exiuit columba niue candidior.
ſpecioſa nimiſ. et uolanſ diu per fastigium [113]) cęloſ peciit. [114]) Tunc uniuerſuſ populus congratula-

---

*locum reddit* more ſed inſolito ſperat ſe virgo Maria poſſe placere. *etiam in nostro* placendi *scribendum esse videtur.*

106) cuſtodienda *ab ipso ut videtur librario literis minutis superscriptum.* 107) *Vocis* admonuerunt *litera* n *prior a librario superscripta.* 108) *Post* ingreſſvs *scripserat librarius* eſt, *sed delevit duobus punctis et linea subterpositis.* 109) *Codex Paris. primus, idem quem Thilo in textu suo sequitur, addit* ad tria millia virgas *et in carmine Hrodsvithae legitur* cum ter mille ſuas retinerent denique captas virgas perſonæ predicto tempore certæ *(ed. princ. d7v. fin.)*: *quo docemur quam recensionem libri nostri secutus sit poetria. in Wernheri carmine res non tantopere aucta est cf.* 169, 28 *sqq.* 110) ſed *sic, sine compendio scriptum.* 111) *Quae sequuntur* Cumque ſtaret *usque ad* virgam tụam *in codice longius infra scripta sunt post* cęloſ peciit. *perturbatum sermonis ordinem restituit librarius literis* a b c *collacatis, litera* a *super* Cumque, *litera* b *super* Et, *et litera* c *in margine juxta* tunc *posita.* 112) *Scripserat librarius* in, *sed punctis subterpositis delevit et* de *superscripsit.* 113) *Vocis* fastigium *litera* s *a librario ipso ut videtur superscripta.* per faſtigium *est über das Dach weg scil. templi, quod addunt reliqui: Paris. Thilonis habent* per templi faſtigium, *cod. Tischendorfii* per templi faſtigia. *omittunt per fastigium templi evolasse columbam et Hrodsvitha et Wernherus.* 114) *Vario modo narratur oraculum de desponsanda Maria virgine ab auctoribus apocryphis. secundum historiam Josephi arabicam c.* 4 *(Thilo pag.* 13. *Tischendorfius pag* 117*) sorte eligitur Josephus e duodecim senibus de tribu Juda. in protevangelii Jacobi c.* 8 *et* 9 *(Thilo pag.* 202 *sqq. Tischendorfius pag.* 15 *sqq.) refertur, divino jussu viduos populi esse convocatos, virgas afferentes, quae signum ederent, cui virgo committeretur accepisse virgas summum pontificem, in templum intravisse et orasse. quo facto exivisse eum, singulis singulas reddidisse, sed signum in illis non apparuisse excepta ultima Josephi, ex ea enim columbam exiisse alasque super caput ejus expandisse. in nostro de infantia Mariae et Christi salvatoris libro res jam valde est aucta. sorte eligitur tribus Juda, ex qua quicunque sine uxore sunt convocantur. virgas ex jussu allatas accipit pontifex, deum consultat, responsum pronuntiat, columbam e virga egressuram signum fore. postero mane universi congregantur, sacrificium celebratur, virgae in templo*

bantur [115]) ſeni dicenteſ. Beatuſ factuſ eſ in ſenectute ut deus te oſtenderet ad accipiendam
mariam dignum eſſe. Cum autem ſacerdoteſ ei dicerent. accipe eam quia ex omni tribu tua tu
ſoluſ electvs eſ a deo. cepit eoſ adorare et rogare atque cum uerecundia [116]) dicere. Senex ſum
et filioſ habeo. ut quid mihi infantulam hanc ętate neptem meam datiſ. et quę minor eſt iam a
15r. nepotibuſ meiſ? [117]) Tunc abiathar ait. Memor eſto ioſeph quem ad modum dathan et | chorę et

---

*servatae singulis traduntur, ex nulla egreditur columba. iterantur et sacrificium et preces, apparet pontifici angelus memorans de una virga neglecta. quae profertur, traditur ad quem pertinet Josepho, et statim quae praedicta sunt eveniunt: columba e virga egressa templi fastigium circumvolat, in aethera abit. alio quodam modo res narratur in libro de nativitate Mariae c.* 7 *et* 8 *(Thilo p.* 329 *sqq. Tischdf. p.* **111** *sq.). congregatis populi primoribus a pontifice deus consulitur, qui cunctis audientibus vocem edit, secundum Esaiae vaticinium* (egredieter virga de radice Jeſſe *etc.*) *requirendum esse cui virgo desponsari debeat. ergo omnes de domo et familia David* nuptui habiles non conjugati *virgas afferre jubentur, et cujuscunque virga florem germinaverit et in ejus cacumine spiritus domini in specie columbae consederit, ipsum esse cui virgo desponsetur. deinde cunctis virgas suas deferentibus, Josephus solus grandaevus suam subtrahit. voci divinae consonum nihil apparet, deus iterum consulitur, responso Josephus detegitur, ut afferat suam virgam cogitur, et statim in cacumine ejus columba de coelo veniens considit. ceterum moneo, hoc quidem loco pauca omissa esse in textu quem ex editionibus Hieronymi integrum transscripserunt et Thilo et Tischendorfius codicum ratione prorsus non habita. dici enim debuit denuo etiam hoc loco de germinatione virgae, quod desideramus. recte nos quidem sensisse testis est Vincentius Bellovacensis, qui quo modo expleatur textus docet eo quod habet lib.* 6 *cap.* 72 cum virgam attuliſſet et ipſa ilico florem germinaſſet atque in eius cacumine columba de celo veniens confediſſet *etc. Scriptores posteriores partim sequuntur nostrum de infantia Mariae et salvatoris librum, partim librum de nativitate Mariae, partim ex ambolus narrationem componunt. differunt maxime in signo quo Josephus Mariae sponsus manifestatur. columbam solam e virga egressam habent Hrodsvitha (ed. princ. d*8*r. a med.* proceſſit pauidus virgam comprendere juſſus, ex qua continuo ſplendens egreſſa columba haud tarde cœlum fertur peciiſſe secretum) *et Wernherus (*171, 1 *sqq.* er zwîvelt waz er tæte unt wes got willen hæte, doh enpfieng er daz rîs. ſîn bart was im lanch unde grîs. weinen begunde er durh nôt. unt als er die gerte ûf bôt vor wîben unt vor mannen, ein tûbe ſwanch dô dannen, ein vogel ſô wolgetân daz ſîn got muoſt êre hân: der ſweimet ein wîle dâ unde huob ſih dânâh ſâ gegen himel hin wider, danne er chomen was her nider). *de Wernheri carmine vero moneo, quod is qui denuo id recensuit, quae recensio in cod. Vindob. exstat, primi auctoris sententiam hoc quidem loco mutavit, nova quaedam ex alio fonte sumpta adjiciens. nam quum primus auctor columbam e virga egressam solam habuisset, de virgae germinatione tacuisset, ille etiam hanc rem minime quidem apte adjecit, priores tres quos citavimus versus ita permutans* do enpfienk er ziterende von des herren hende daz grüene plüende rîs: *v. edit. Feifalikii* 1669 *sqq. qua una re jam probatur, id quod centum aliis locis firmatur, valde erravisse Feifalikium verissimam carminis formam codice illo Vindobonensi contineri contendentem. Porro librum de nativitate Mariae in describenda Mariae virginis et Josephi desponsatione quam accuratissime potuit secutus est auctor carminis illius amplissimi quod Passionale vocatur inde a versu* **11**, 48 *ed. Hahn. usque ad* 12, 88: *videas inprimis versus* 12, 75 *sqq.* er hûb ûf die rûte. dô wîſete got der gûte ein zeichen an der ſelben gart, wand ſi von bladen grûne wart unde ouch dâ bî vurbaz obene ûf ir ein tûbe saz, die von himele quam gevlogen. *totam rem valde mutatam, scilicet carmen sequens latinum, habet Philippus Cartusianus monachus inde a v.* 1092 *edit. Heinr. Rückerti; sed quod ad signum editum attinet, cum libro de nativitate Mariae pure consentit: cf. v.* 1249 die gertn er von ſiner hant enphienc. dô er die zuo dem alter truoc, ûz der ſelben gerten ſluoc bluomen unde grüenez loup. der heilec geiſt der kom dô ouch her nider von dem himelrîch in einer wîzen tûben glîch: ûf die gerten ſazt er ſich vor al den liuten ſchînbærlich. *denique idem valet de carmine theotisco Waltheri Reinaviensis, quippe qui ex eodem fonte quo Philippus hauserit, signum exhibens ita (edit. Kelleri* 42, 13 *sqq.)* dô diz gebot Jôſêph vernam, ze Jeruſalêm er balde kam und gieng in den tempel hin tragende in der hende ſîn ein dürre (*sic legendum pro* tiurre) ruote, daz iſt wâr, loubes unde bluoſtes bar (sic *leg. pro* var). und dô er in den tempel gieng, ieſâ ze loube und bluoſte vieng diu vil dürre (*pro* tiurre) ruote rehte ſam ſi wuote. der êwart ſie nam in die hant: der heilig geiſt dar ûf ze hant in tûbe wîs wart geſehen.

115) *Verbi* congratulabantur *litera* n *posterior a librario ipso superscipta.*

116) cum uerecundia *v. adnot.* 6.

117) *i. e. die dem Alter nach meine Enkelin sein könnte und die wirklich noch jünger ist als meine Enkel. verba quibus in nostro libro*

abiron perierunt [118]). quoniam uoluntatem domini contempferunt. ita et tibi eueniet. fi hoc quod
tibi a domino iubetur fimiliter contempferif. Et ait ei iofeph. Ego non contempno uoluntatem
dei. fed cuftof eiuf ero. quoufque et hoc de uoluntate dei cognofci poffit. quif eam poffit [119])
habere coniugem ex filiif meif. Dentur alique ex fodalibuf eiuf uirginef. cum quibuf interim
degat. Et refpondenf abiathar pontifex dixit. Uirginef ad folacium eiuf dabuntur. quoufque
ftatutuf dief ueniat in quo tu eam accipiaf/ non enim debet alteri in matrimonio copulari. Tunc
iofeph accepit mariam cum aliif uirginibuf quinque [120]) quę [121]) effent fimul cum ea | in domo 15v.
iofeph. Erant autem iftę. rebecca. fephora. fufanna. abigea et zahel. [122]) Quibuf datum eft a
pontificibuf fericum et iacinctum. et coccvs. et byffuf [123]) purpura et linum. Miferunt autem
fortem inter fe unaquęque uirgo quid faceret/ et fic factum eft ut maria purpuram nendam [124])
acciperet ad uelum templi domini. Et dum acciperet/ dixerunt uirginef ille. Cum fif ultima

---

*Josephus conditionem oblatam recusat partim congruunt cum iis quae facit in protevangelio Jacobi cap.* 9 *(Thil. p.* 208. *Tischdf. p.* 18 υἱοὺς ἔχω καὶ πρεσβύτης εἰμί, αὕτη δὲ νεᾶνις) *partim specialiter addita sunt, neque in omnibus libri nostri codicibus pari modo leguntur. Parisienses Thilonis habent tantum* ut quid mihi infantulam iftam traditis, *quibus verbis adjecta leguntur in Vaticano* cuius etiam ætas minor eft nepotibus meis, *in Laurentiano eadem fere* cuius ætas minor eft nepotum meorum. *noster verbis etiam copiosior. ceterum Josepho liberos fuisse e priore conjugio evangelia apocrypha uno quasi ore testantur, cui rei nec intercedebant primi patres ecclesiae usque ad Hieronymum, virginitatis propugnatorem acerrimum. cf. quae a Thilone disputata sunt l. c. p.* 362 *sqq. in adnot. liber apocryphus noster etiam nepotes illi tribuit. sequitur eum et in hac re Hrodsvitha (ed. princ. d8r. med.)* proteftans proceres fe progenuiffe nepotes; *non sequitur quod ad nepotes attinet Wernherus, sed filios ei tribuit, non quidem hoc loco sed paululum infra ubi de virgine uni ex filiis suis nubenda verba facit Josephus* 172, 11 *sqq.* ich hân ave êrlîche fun, vil wolgetâne degene, die mir got gefegene: die fint guot unt wolgeborn, zallen sælden erchorn. *praeter hunc filios eosque duos memorat Cuonradus Fuozesbrunnensis in carmine suo de infantia Jesu (ed. Hahn* 69, 11 *sqq.)* ich hân zwêne junge man biderbe unde wolgetân, die fînt bêde mîniu chint, unt weiz wol daz fi edel fint. *tacet de filiis liber de nativitate Mariae, ac quidem consulto, quod doctrinae ecclesiae res adversabatur (ex quo facillime posteriorem hujus libri aetatem cognoscas), tacent qui hunc sequuntur et carminis theotisci quod Passionale dicitur auctor (ed. Hahn* 12, 82; *cf.* 12, 21 *sqq.* wande er nâch âne wîb faz. fumelîche fprechen daz, wie er von fîner kintheit noch lebte in rechter kûfcheit: dem mîn geloube ouch volgen wil.) *et Philippus Cartusianus et Waltherus Reinaviensis.* 118) *De re videas Num.* 16. *Ceterum* et chore *omisit Paris. alter, nec non Wernherus* (171, 41 unt gedenche wol daran, wie zwêne hêrlîche man Dâthan unde Abyron wîlen verworhten ir lôn). *in carmine Hrodsvithae totum hoc exemplum omissum.* 119) *Verba* quif eam poffit *a librario in margine adscripta.* 120) *Quinque virgines Mariae comites secundum nostrum librum habent Hrodsvitha (ed. pr. d8r. a fin.) et Wernherus* 174, 13; *protevangelii Jacobi codex unus Paris. habet sex, reliqui omnes codices septem (cap.* 10 *apud Thil. p.* 210, *ap. Tischdf. p.* 19*); liber de nativ. Mariae habet septem c* 8 *(Thilo p.* 331. *Tischdf. p.* 112, *eundem numerum Passionale* 12, 95, *Philippus Cartus. v.* 1516, *Waltherus Reinav.* 47, 23; *solus Cuonradus de Fuozesbr. habet tres* 69, 22, *et hunc numerum et comites a Maria ipsa erogatas esse fingens.* 121) quę *a librario superscriptum.* 122) *Nominis* zahel *litera* h *a librario minuta forma superscripta. Nomina comitum noster de infantia liber solus exhibet. in duobus tantum codices dissentiunt: pro* Sephora *habet Laurentianus lapsu calami* Sophera, *Paris. alter* Sephiphora *(rectum est* Sephora *cf. Exod.* 2, 21*); pro* Zahel *praebet Vatic.* Cael, *Laurent.* Agabel. *infra (v. adnot.* 174*)* Zael *est nomen obstetricis. nomen fortasse corruptum ex hebraeo* Be-zal-êl *i. e. in umbra dei, quod occurrit Exod.* 31, 2 35, 30. *Hrodsvitha nomina exhibet ita* Sephiphona Zabel Sufanna Rebecca Abigea, *Wernherus* 174, 22 *sqq.* Rachel Rebecca Sephora Abigea Sufanne. *Vincentius Bellov. l. c.* 6, 72 *nomina omisit.* 123) *Post* byffuf *punctum non posuit librarius noster, quasi vocem* purpura *pro adjectivo usurpans velut* purpurea; *sed sex texturae demandantur virginibus sex.* 124) nendam, *quod etiam habent Parisienses Thilonis et Vincentius Bellov. l c.* 6, 72, *omittunt codices Tischendorfii, in nostro veluti mendum scripturae a correctore puto oblitum est.*

et humilif [125]). purpuram obtinere meruifti? [126]) Et hec dicentef/ in fatigationif fermone [127]) cęperunt eam reginam uirginum appellare. Cumque inter fe hoc agerent/ aparuit angelus in medio 16r. earum et dixit. Non erit | ifte fermo in [fatigatione] miffuf/ [128]) fed in preuaticinatione ueriffima prophetatif [129]) Expauerunt autem in afpectu angeli / et in uerbif eiuf/ et rogare ceperunt mariam / ut indulgeret eif et oraret pro illif [130]).

[Cap. 9.] **B**eata ergo [131]) maria dum ftaret iuxta fontem et urceum impleret [132]) aparuit angelus et dixit ei. Beata ef maria/ quoniam in mente tua [133]) habitaculum deo preparafti. Ecce ueniet lux de cęlo ut habitet in te/ et per te uniuerfo mundo refplendebit. [134]) Item die tercio [135]) dum operaretur purpuram/ ingreffvs eft iuuenif ad eam. [136]) cuiuf pulchritudo non potuit enarrari.

---

125) et minor omnibus *(i e. minor natu ceteris) addit Vatic.;* cum tu fis minor omnibus *in uno Paris, in altero* cum iunior tu fis omnibus, *apud Vincentium Bellov.* cum tu iunior fis omnibus *legitur. in Hrodsvithae carmine est (ed. pr. d8v. p. in.)* non paruo cum fis iunior tu tempore nobis. *eo quod Laurentianus totum ambitum verborum quasi interpretaturus praebet* filiæ regum fumus et tu cum minor fis purpuram quafi regina noftra accipere meruifti et obtinere *confirmari videtur lectio nostra.* 126) *Recte in nostro signum interrogationis est, quod posuit quoque Thilo, perperam neglexit Tischendorfius. sententiae quae praecedit vim interrogationis inesse vidit jam Hrodsvitha locum ita describens* num te reginam conftat poft hæc fore noftram, iam texenda tibi quia purpura creditur uni, non paruo cum fis iunior tu tempore nobis? 127) fatigatio *hoc loco et paulo post vim joci vel cavillationis habet, ut saepius apud scriptores inferioris aetatis.* in fatigationis fermone *est in Scherzrede, in Scherz Parisienses Thilonis habent* in fatigationem fermonis, *quod etiam Vincentius Bellov. exhibet.* 128) *Codex noster habet* non erit ifte fermo inmiffuf/ *literis* uf *cum signo interpunctionis superscriptis.* fermo inmiffus, *si omnino dici potuit, sermo esset temerarius, temerarie emissus, eine ausgelaszene Rede; sed librarium lapsum esse puto et ea quae omisit eo quo fecimus modo explenda ceteri omnes cum Vincentio habent* in fatigationem miffus. 129) prophetatis *sensu caret: corrigendum est aut* prophetantis *aut* prophetatus. *Tischendorfii cod. habent* in prophetationem veriffimam prophetatus, *Parisiensis Thilonis primus cum Vincentio Bellov. l. c.* in probationem veriffimam prophetatus, *alter* in p. v. prophetantis. 130) illis *cum nostro Vincentius, reliqui* eis. 131) *Verba* Beata ergo *linea subterposita et usitato illo trium punctorum signo notata sunt, in margine est idem signum et alia manu scriptum* al Altera autem die, *quod reliqui omnes habent. etiam Wernherus* 176, 31 an dem andern tagè. 132) *Cuonradus Fuozesbr.* 69, 45 *sqq.* nu ftuont daz unlange vrift unz daz diu maget reine eińs tages alterseine zeinem brunnen wazzer nam. *Wernherus rem paululum mutat* 176, 32 *sqq.* diu kamer des wâren funnen diu gie zuo ir brunnen an des hoves ende und dwuoch ir reine hende. 133) in mentem tuam *Paris.; male Tischendorfius cum suis* in utero. 134) *Priorem hanc apparitionem angeli seu nuntium angelicum quasi praelusionem annunciationis verae habet protevangelium Jacobi* c. 11 *(Thilo p.* 215, *Tischdf. p.* 21*) et liber noster, quem sequitur Wernherus* 176, 31 *sqq. et Cuonradus Fuozesbr., breviter tantum et in transitu rem attingens, porro Philippus Cartusianus* 1544 *sqq. et Waltherus Reinaviensis* 47, 48 *sqq., rem quodam modo mutatam narrantes. Hrodsvitha tacet. tacet quoque de hac re liber de nativitate et cum eo Passionale.* 135) *In protev. Jac. eodem die fit secunda haec angeli apparitio.* 136) *Dum purpuram operatur virgo angelus ingreditur. narratur idem in protev. Jac.* c. 11 *καὶ λαβοῦσα τὴν πορφύραν ἐκάθισεν ἐπὶ τοῦ θρόνου αὐτῆς καὶ εἷλκεν αὐτήν. καὶ ἰδοὺ ἄγγελος κυρίου ἔστη ἐνώπιον αὐτῆς. sequuntur librum nostrum Hrodsvitha (ed. pr. d8v. a. med.* poft hæc secreta refidebat in æde quieta purpureos digitis filos operans benedictis), *Wernherus* (177, 33 *sqq.* diu gotes werde faz in einer keminâten mit fuozem werche berâten, die chleinen fîden fie fpan), *Cuonradus* (69, 58 *sqq.* dâr nâch an dem næhften tage dô het fich aber diu guote durch geiftlîche huote in einem gademe verfpart unt wânde wol hân bewart daz iemen dar in möhte chomen, unt het ir ein werch genomen von fiden unt von golde, als fi bereiten wolde einen phelle zuo dem templo), *Philippus* (1618 *sqq* Marjâ die maget aleine was in ir kamern und dâ faz. ir werkes fi mit vlîze phlach, ir gebet die wîle ouch fprach Marîen werc was an den zîden, fi worhte golt dô unde fîden, die zwirndes beide schône zefamen), *denique Waltherus* (50, 42 *sqq.* eins tages dô Marîa was daz ûzerwelte reine vaz in einem gädemlîne alein und an ir hende werke fchein fô daz diu gotes holde fîden bewant mit golde und pheller nâte unde wap). *nec non*

Hunc uidenſ maria. expauit et contremuit. Cui ille ait. Noli timere maria! inueniſti gratiam ante deum. Ecce concipieſ et parieſ regem qui imperet non ſolum in terra ſed et in cęliſ et regnabit | in ſecula ſeculorum. 16v.

Cumque hec agerentur! ioseph in capharnaum maritima erat. in opere occupatuſ! erat [Cap. 10.] autem faber ligni. ubi moratuſ eſt menſibuſ nouem. Reuerſuſ[137]) autem in domum ſuam! mariam pregnantem inuenit. et totuſ contremuit! et poſituſ in anguſtia exclamauit ad dominum et dixit. Domine domine accipe ſpiritum meum! quoniam meliuſ eſt mihi mori magiſ quam uiuere. Cui aiunt uirgineſ que erant cum maria. Quid agiſ domine ioseph? Noſ certe [138]) ſcimuſ quod uir numquam [139]) tetigit eam. quia mentiſ integritaſ et uirginitaſ in ea perſeuerantes [140]) immaculatę cuſtodite sunt ab ea. Semper enim in domino. ſemper in oratione permanſit. Cottidie angelus dei loquitur cum ea. cottidie eſcam de manu eiuſ[141]) accipit. et quomodo poteſt fieri ut | pecca- 17r. tum ſit aliquod in ea? Nam ſi ſuſpicionem noſtram tibi uiſ ut pandamuſ! iſtam grauidam non fecit niſi angelus dei. Ioseph autem ait eiſ. Quid me ſeducitiſ! ut credam uobiſ quod angelus dei eam impregnaret? Poteſt fieri! ut quicunque se [142]) finxerit angelum et deciperet eam. Et hec dicenſ! flebat et dicebat. Qua fronte ad templum dei ituruſ ſum! et qua facie uiſuruſ ſum ſacerdoteſ domini? Quid facturuſ ſum? Et hec dicenſ! cogitabat occultare ſe et dimittere eam. Cumque ordinaret ut nocte exurgeret et fugienſ abiret! ecce ipſa nocte aparuit ei in ſomniſ ange- [Cap. 11.] lus dom ni dicenſ. Ioseph fili dauid. noli timere accipere mariam coniugem tuam! | quoniam [143]) 17v. quod in utero eiuſ eſt de ſpiritu ſancto eſt. Pariet autem filium qui uocatur ieſuſ. Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum a peccatiſ eorum. Exurgenſ autem ioſeph a ſomno gratiaſ egit deo ſuo! et locutuſ eſt marię et uirginibuſ quę cum ea erant. et narrauit [144]) uiſum! et conſolatvs eſt ſuper mariam dicenſ. Peccaui quoniam ſuſpicionem habui aliquam in te. [145])

---

*hac quidem in re cum nostro libro quodam modo congruit auctor Passionalis* (14, 16 *sq.* ir gebet ſi von herzen las und arbeite mit der hant). *sed jam quatuor fere seculis ante hunc Otfridus monachus presbyterque Weissenburgensis in splendido illo libri evangeliorum primi capite quinto nostrum de quo agimus locum respexit his verbis*

giang er in thia palinza, fand ſia drûrênta
mit ſalteru in henti, then ſang ſi unz in enti,
wâhero duacho werk wirkento,
diurero garno, thaz deda ſiu io gerno.

137) *Verbi* Reuerſus *literae* uſ *ab ipso librario superscriptae.* 138) certe *superscriptum a correctore ut videtur ejusdem aetatis.* 139) numquam *sic. vide adnot.* 18. 140) *Verbi* perſeuerantis *literae* ue *a librario ipso superscriptae.* 141) eiuſ *in rasura est et in fine versus. versus qui sequitur (est ultimus paginae) verbum primum est* accipit, *sed ante hoc una vel duae literae non erasae quidem sed alio quodam modo deletae videntur. puto prius scriptum fuisse* angeli, *id quod vere Parisiensis, quem sequitur Thilo, hoc loco exhibet.* 142) se *superscriptum, a correctore ut videtur.* 143) quō *codex.* quando? *v. adnot.* 203. 144) *Verbi* narrauit *litera* r *prior a librario superscripta.*

145) *Quae hoc capite narrantur proxime accedunt ad ea quae protev. Jac. habet c.* 13 *et* 14, *ea tantum discrimine interposito quod in nostro libro virgines loquentes et Mariam excusantes inducuntur, in illo virginum mentio prorsus non fit. Secuti sunt librum de infantia nostrum Wernherus* 184, 19 *sqq., Cuonradus* 71, 49 *sqq., Philippus* 1798 *sqq. et Waltherus* 54, 54 *sqq. Hrodsvitha dolorem Josephi et solatium noctu acceptum praetermittere se velle dicit, quod evangelicis haec libris demonstrentur. brevibus verbis rem narrat liber de nativ. Mariae c.* 10, *quem sequitur Passionale* 16, 20 *sqq., et historia Josephi arabica c.* 5 *et* 6 *(Thilo p* 13 *sq. Tischdf. p.* 118*).*

[Cap. 12.] Factum eſt autem [146]) ut hic rumor exiret quod maria eſſet grauida/ et conprehenſa a miniſtriſ templi et ioseph perducti sunt ad pontificem. Qui unâ cum ſacerdotibuſ cepit eum exprobrare dicenſ. Ut quid fraudator exſtitiſti tantę et tali uirgini. quam angelus domini ſicut colum-
18r. bam [147]) in templo nutrie|bat/ quę nunquam [148]) uirum nec uidere uoluit. quę in lege domini eruditionem optimam habuit? Tu autem niſi illi uiolentiam feciſſeſ illa hodie uirgo perſeueraret/ quia deuouebat ſe iuranſ. quod numquam eam penituſ uir tetigiſſet. Cui abiathar pontifex dixit. Viuit dominuſ quod modo te faciam potare aquam potationiſ domini et mox aparebit peccatum [149]) tuum. Tunc congregata eſt omniſ multitudo quę dinumerari non poterat. et adducta eſt etiam maria ad templum domini. et flenteſ ſacerdoteſ et parenteſ [150]) et affineſ eiuſ dicebant ad mariam.
18v. Confitere ſacerdotibuſ peccatum | tuum/ quę eraſ ſicut columba in templo dei. et accipiebaſ cibum de manu angeli. Uocatvs eſt autem et ioseph ad altare/ et data eſt ei potationiſ aqua. Quam qui guſtaſſet mencienſ et ſeptieſ circuiſſet altare/ dabat deus ſignum aliquod in facie eiuſ. Cumque bibiſſet ſecuruſ ioseph et girasſet [151])/ nullum ſignum peccati aparuit in eo. Tunc ſanctificauerunt eum omneſ ſacerdoteſ et miniſtri et populi dicenteſ. Beatuſ eſ tu/ quoniam non eſt inuentvs reatuſ in te. Et uocanteſ mariam/ dixerunt ei. Quam excuſationem tu affere poteriſ.
19r. et quod ſignum aparebit in te/ quia prodit te conceptuſ uteri | tui? Hoc ſolum a te requirimuſ/ ut quia ioseph munduſ eſt. confitere quis eſt qui deceperit te. Meliuſ enim eſt ut te tua confeſſio prodat/ quam ira dei dans ſignum et in medio templi manifeſtet. Tunc maria conſtanter intrepida dixit. Si eſt aliqua in me pollutio/ aut peccatum/ aut fuit aliqua concupiſcentia/ detegat dominuſ in conſpectu omnium populorum. ut poſſim emundari. et ſim omnibuſ emendationiſ exemplum. Et acceſſit ad altare domini et accepit aquam potationiſ et guſtauit [152]) et girauit ſeptieſ/ et non eſt inuentum nec ſignum neque ueſtigium alicuiuſ peccati in ea. Et cum omniſ
19v. populus ſtupêret uidenteſ conceptum uentriſ/ ceperunt | uaria inter ſe loquacitate turbari. Aliuſ dicebat ſanctitate/ aliuſ uero mala conſcientia accuſabat. [153]) Tunc maria uidens ſuſpicionem populi quod non ex integro fuiſſet purgata/ omnibuſ audientibuſ clara uoce dixit. Uiuit dominuſ exercituum ante cuiuſ conſpectum ſto. quoniam uirvm numquam cognoui neque cognoſcere ab ineunte [154]) ętate mea antea definiui. et hoc uotum deo meo feci. ab infancia mea. ut in ipſiuſ qui me creauit

---

146) autem *superscriptum, a correctore ut videtur.* 147) ſicut columbam *respicit verba protev. Jac. c.* 8 *in. supra in adnot.* 89 *laudata.* 148) nunquam *sic. vide adnot.* 18. 149) peccatum *in margine a librario adscriptum.* 150) *Post* parenteſ *scriptum est* eiuſ *sed deletum punctis subterpositis.* 151) giraſſet *i. e. circumivisset. verbum* girare, gyrare *(a substantivo* gyrus, *γῦρος derivatum) significat gyrum ducere circumeundo, circumire, circulari. verbum classicorum auctorum latinorum usu remotum, in vulgata bibliorum versione adhibitum, inferioribus seculis usitatissimum* 152) et guſtauit *a librario in margine adscriptum.* 153) *i. e. alius dicebat, sanctitate ejus hoc esse factum, alius vero mala sui ipsius conscientia permotus (se ipsum rebus venereis deditum sentiens ideoque et alios suspectos habens) eam accusabat. modus loquendi* alius dicebat ſanctitate *est valde durus. facilius est ad intelligendum quod alter Paris. habet quem sequitur Thilo* alii dicebant ſanctitatem *i. e. einige sprachen von Heiligkeit,* alii vero per malam conſcientiam accuſabant eam. *quae Tischendorfii habet optimus* alii dicebant ſanctam et immaculatam, alii vero malam et contaminatam *interpretatio est e studio difficultatis verborum tollendae profecta, sed eo ipso veram lectionem eam non esse arguens.* 154) *correctum ex* ineunti.

integritate permanerem/ in quo me confido ipſi ſoli ſeruire. et ipſi ſoli uiuere. et ipſi ſoli ſine aliqua pollutione quamdiu uixero permanere. Tunc oſculabantur omneſ genua eiuſ/ rogranteſ eam ut daret maliſ[155]) ſuiſ ſuſpicio|nibuſ indulgentiam. et deduxerunt eam omneſ populi et ſacerdoteſ 20r.
et omneſ uirgineſ cum exultatione et gaudio uſque in domum ſuam clamanteſ et dicenteſ. Sit nomen domini benedictum qui manifeſtauit ſanctitatem tuam uniuerſo[156]) iſrael.[157])

Factum eſt autem poſt aliquantum temporiſ ut facta eſſet profeſſio ex edicto ceſariſ auguſti/ ut [Cap. 13.]
properaret unuſquiſque ad patriam ſuam. Hęc facta eſt profeſſio prima ſub preſide ſirię cirino/ et fuit neceſſe ut ioseph cum maria proficiſceretur bethleem. quia de tribu iuda erant[158]) de domo et patria dauid.[159]) Cum ergo irent per uiam quę ducit[160]) bethleem. dixit maria ad ioſeph. Duoſ populos[161]) uideo ante me/ unum flentem et alium | gaudentem. Cui reſpondit ioseph. 20v.
Sede et tene iumentum/ et noli uerba ſuperflua loqui. Tunc aparuit puer ſpecioſuſ ante eoſ indutuſ ueſte ſplendida[162]). et dixit ad ioſeph. Quare dixiſti uerba eſſe ſuperflua de duobuſ populiſ quod audiſti? Nam populum iudeorum flentem uidit.[163]) quia receſſit a deo/ et gentium populum gaudentem reſpicit. quia acceſſit ad dominum ſecundvm[164]) quod promiſit patribuſ noſtriſ abraham yſaac et iacob. Tempuſ enim aduenit/ ut in ſemine[165]) abrahę benedictio omnibuſ gentibuſ tribuatur. Et cum[166]) hec dixiſſet/ iuſſit ſtare iumentum et precepit deſcendere mariam de animali et ſpeluncam ingredi[167]) in quā ſemper tenebrę erant. | quia lucem diei penitvs non habebat. Sed 21r.
in ingreſſu marię cepit tota ſpelunca ſplendorem habere nimium/ et quaſi ſol ineſſet ita tota cepit

---

155) *Vocis* maliſ *syllaba* ma *superscripta. subter hac ante literas* liſ *nescio quid erasum.* 156) *Post* uniuerſo *scriptum erat* plebe, *cujus vocabuli syllaba prior* ple, *qua versus exit, linea subterposita deleta est; syllaba posterior* be, *quae initium sequentis versus tenebat, erasa est.* 157) *Quae capite superiore narrantur, judicium sacerdotum de Josepho et Maria virgine factum amborumque castitatis servatae probatio, pendent a relatione protevangelii Jacobi cap.* 15. 16 *(apud Thilonem p.* 228 *sqq., ap. Tischdf. p.* 27 *sqq.). quod ad imitatores attinet, Hrodsvitha quidem tacet. Wernherus rem secundum nostrum librum refert* 187, 32 — 191, 17, *item Cuonradus in carmine suo de infantia Christi composito ed. Hahn.* 73, 29 — 75, 33. *praetermittit hanc fabulam liber de nativitate Mariae et cum eo auctor carminis theotisci quod Passionale vocatur et Philippus Cartusianus et Waltherus Reinav.; praetermittunt eam alii quoque libri apocryphi.*

158) *Verbi* erant *litera* n *superscripta a librario ipso ut videtur.* 159) *Observes in hac de edicto Caesaris Augusti relatione librum nostrum minime sequi verba evang. Lucae* 2, 1—5 *ex versione vulgata.* 160) *Alia manu eaque recentiore ut videtur superscriptum est* ad, *quod etiam Paris. primus habet, alter* in, *Vincentius Bellov. l. c. cap.* 87 in, *codd. Tischendorfii particulam omittunt.* 161) *i. e. zwei Scharen. Hrodsvitha* duos popellos, *Wernherus* 193, 33 ein volch unt ein ſchar, *Cuonradus* 75, 73 zweier hande liute, die einen . . die andern, *auctor Passionalis* 18, 34 zwâ ſchar an lûten, *Philippus* 1952 zweier ſlahte liute, die einen . . die andern. *in protev. Jacobi c.* 17 *p. m. est* δύο λαοὺς βλέπω. 162) ſplendida *in nostro hunc in modum divisum* ſpl — | — endida. *rarissima talis discerptio.* 163) uidit *in rasura manu sec.* 15 *scriptum, eadem quae fol.* 4r. *scripsit* dei *et* uerecundiam: *cf. adnot.* 30. 31. 164) ſecundvm, *in rasura, sed a librario ipso scriptum. quid erasum sit, nullam habeo suspicionem. omnes codices cum nostro consentiunt*

165) *Vocis* ſemine *litera prima in rasura* 166) cum *superscriptum a librario ipso, ut videtur. Ceterum haec duarum catervarum visio Mariae oblata e protevangelio Jacobi cap.* 17 *sumpta (Thilo p.* 238, *Tischdf. p.* 31 *sq.), ubi vero sermo est neque de Josepho Mariam vituperante neque de angelo excusante remque explicante. librum nostrum sequitur Hrodsvitha (ed. princ. e*1r. *init.), Wernherus* 193, 26 — 195, 8, *Cuonradus* 75, 79 — 76, 4. *eandem rem brevius narrat auctor Passionalis* 18, 32—50 *et quodam modo mutatam Philippus* 1948—1965. *rem non habet Waltherus Rein. cf.* 58, 24 *sqq.*

167) *Angelum ipsum Mariae praecepisse ut speluncam intraret, e poetis narrat Waltherus Reinaviensis* 58, 25 *sqq. et Philippus Cartusianus* 1972 *sqq.*

fulgorem lucif oftendere/ et quafi effet ibi hora diei fexta ita fpeluncam diuina gratia illuftrabat.
Quę lux non defecit. nec in die nec in noctę[168]) quamdiu ibi maria manfit/[169]) et peperit mafcu-
lum[170]). Quem circumdederunt nafcentem angeli/[171]) et natum ftatim adorauerunt dicentef.
Gloria in excelfif deo/ et in terra pax hominibuf bonę uoluntatif.[172]) Et inuenienf[173]) ioseph
mariam cum infante quem genuerat. dixit ad eam.[174]) Ecce zahelem[175]) tibi obftetricem adduxi/
21v. quę ecce forif ante fpeluncam ftat. quia pre nimio | fplendore huc non poteft introire. Audienf
autem[176]) hec maria fubrifit.[177]) Ioseph autem dixit ad eam. Noli fubridere. fed efto cauta ut
infpiciat te/ ne forte indigeaf medicina eiuf. Et iuffit eam maria introire ad fe. Cumque per-
mififfet fe maria fcrutari/ clamauit uoce magna obftetrix et dixit. Domine magne miferere. adhuc
hoc numquam[178]) nec auditum nec in fufpicione habitum eft[179])/ ut mamille plene fint lactif. et
natvs mafculuf uirginem fuam matrem oftendat. Nulla pollutio fanginif[180]) facta eft in nafcente.
nulluf dolor in parturiente aparuit. Uirgo concepit uirgo peperit/ et poft quam peperit uirgo |
22r. effe perdurat. Audienf hanc uocem alia obftetrix nomine falomę dixit. Plane hoc ego non cre-
dam/ nifi forte probauero. Et ingreffa falomę ad mariam/ dixit ei. Pátere te confpici a me/
ut cognofcam fi uerba zahelif uera funt quę indicauit mihi. Cumque permififfet maria ei con-
fpectum fuum/ ftatim ut manum dexteram fuam falomę ab afpectione eiuf abftraxit. aruit manuf/

---

168) noctę *sic codex. Vinc. Bell. l. c. cap.* 78 nec defecit illa lux die vel nocte. 169) *Speluncam tenebrosam, simul atque eam intravit Maria, splendidam et factam esse et permansisse e poetis soli habent Hrodsvitha* (e1r. *p. med.* fed mox ut lucem genitrix paritura perennem hanc adiit, radiis cepit fulgere corufcis. nec poft hec ibi cœleftis lux defuit omni tempore quo genitrix illic manfit bene fœlix) *et Wernherus (*195, 40 *sqq.* dô fie gie in den ftein, dô lûhte unde erfchein ein michel lieht dâr inne gegen der kuniginne. die wîle daz fie dâ beleib, die vinfter daz lieht vertreib).

170) *Vocis* mafculum *litera* a *a librario ipso superscripta.* 171) *Hrodsvitha* e1r. *ad fin. non dicit angelos parturientem adjuvisse, sed partum collaudasse eos dicit. in Passionali est* 19, 52 *sqq.* zû ir anefchouwe was dâ gotes engel vil, die ir in dem felben zil daz kint hulfen berûchen, dô fi bewant mit tûchen ir kint die gotes irwelte vrucht. *pulcre Wernherus* 196, 13 *sqq.* diu geburt fanfte ergie, wan fie in âne meil enpfie und âne funde gebar. von rehte ir leides niene war. ir wâren die engel bî, die tâten fie forgen vrî, dô fie brâhte den heilant der diu irdifken bant uns ze heile wolte fcouwen. jân was ouh bî der frouwen nehein werltlicher lîp enweder man noh wip: wirdik was des niemen, dâ die engel fcholten dienen dem gotlîchem geflehte. *animum attendas tres alios poetas Cuonradum* 76, 47 *sqq., Philippum Cartus.* 2048 *sqq., Waltherum Reinav.* 58, 53 *sqq. iisdem fere verbis notare, angelos quasi obstetricum munere esse functos.* 172) *Luc.* 2, 14. 173) *Verbi* inuenienf *litera paenultima* n *superscripta.* 174) *Pepererat Maria in spelunca mortalium nemine assistente, angelis dei solis praesentibus. Josephus abierat ut obstetricem quaereret: quod dici debuit, et re vera in reliquis libri nostri codicibus dicitur, in nostro solo desideratur. lacunam esse in nostro conjicio et locum ope Parisiensis primi hunc fere in modum restituendum* Iofeph autem perrexerat ad querendam obftetricem. Qui cum reuerfuf effet ad fpeluncam. inuenienf Mariam cum infante quem genuerat. dixit ad eam.
175) *De nomine primae obstetricis dissensio est. cum nostro congruit Parisiensis alter* Zaelem, *ut videtur, exhibens. Paris. primus habet* Zelemi *et item Hrodsvitha* e1v. *in., Venetus et Laur. praebent* Zelomi, *Cuonradi carminis codex Vindob.* 76, 38. 77, 4. 68. 78, 25 Zeloni. *Wernherus* Rachel *primae obstetrici nomen fuisse dicit (ed. Hoffm.* 196, 5, *ed. Feif.* 3353*), Philippus* 2161 Rachê. *ceterum vid. adnot.* 122. 176) autem *alia ut videtur manu margini adjectum.* 177) *Wernherus quum Mariam ipsam suadentem fingat ut Josephus obstetrices arcessat* (196, 2 fie gebôt dem man zehante daz er fînen vlîz wante heveammen ze bringen. 197, 5 liebiu frouwe mîn, ich hân getân den willen dîn), *hoc loco studium mariti ridentem non facit sed statim exhortantem ut arcessitas introducat* 197, 10 *sqq.* 178) numquam *sic. vid. adnot.* 18.

179) *i. e. Groszer Gott erbarme dich! Bis jetzt hat man noch nie weder erhört noch eine Ahnung davon gehabt dasz etc.* 180) *Inter literas* g *et* i *verbi* fang nif *litera* v *alia eaque ut videtur recentiore manu superscripta.*

et pre dolore nimio cępit uehementiſſime anguſtiari. et eiulando clamare dicenſ. Domine tu noſti quia ſemper te timui. et omneſ pauepereſ ſine retributione acceptioniſ[181]) curaui/ a uidua et orphano
nichil accepi/ et inopem a me uacuum non amiſi[182]). et | ecce miſera facta ſum propter incredu- 22v.
litatem. quia auſa fui temptare uirginem tuam quę peperit lumen uerum. et poſt partum uirgo permanſit. Et cum hęc diceret/ aparuit iuxta illam iuueniſ ſplendidiſſimuſ dicenſ. Accede ad infantem et adora eum et continge eum manu tua. et ipſe ſaluabit eam/ quia hic eſt uere[183]) ſaluator mundi et omnium ſperantium in ſe. Et confeſtim acceſſit ſalomę adoranſ infantem tetigitque fimbriaſ pannorum in quibuſ erat infanſ/ et ſtatim ſanata eſt manvs eiuſ. Exienſ autem foraſ clamare cepit et dicere magnalia uirtutum[184]) quę uiderat/ et quę paſſa fuerat/ et quem ad
modum curata erat/ | ut ad predicationem eiuſ multi crederent.[185]) 23r.

Nam et[186]) paſtoreſ ouium qui erant in ipſiſ partibuſ uenienteſ/ aſſerebant ſe angeloſ uidiſſe in media nocte ymnum dicenteſ deo/ et ab ipſiſ audiſſe quia natuſ eſſet ſaluator hominum qui eſt chriſtuſ dominuſ. in quo reſtituetur[187]) ſaluſ iſrael.[188]) Sed et ſtella ingenſ a ueſpere uſque in matutinum ſplendebat ſuper ſpeluncam. Prophetę autem qui fuerunt in iſrael dicebant hanc ſtellam indicare natiuitatem chriſti/ qui reſtauraret ſicut promiſerat non ſolum iſrael ſed et omneſ
genteſ.[189]) Tercia autem die natiuitatiſ domini egreſſa eſt[190]) maria de ſpelunca/ et ingreſſa eſt [Cap. 14.]
in ſtabulum. et poſuit puerum in preſepio. et boſ et aſinuſ genua flectenteſ adorauerunt eum.
Tunc adimpletum eſt | quod dictum eſt per eſaiam prophetam dicentem. Agnouit[191]) boſ poſſeſſo- 23v.

---

181) *In verbo* acceptioniſ *litera* t *correctum ex* c. Sine retrib. acc. *est ohne Gegenleistung für das (von mir) in Empfang Genommene.* acceptionis *pro accepti: quae significatio rarissima videtur. reliqui codd. rem faciliorem reddunt: Paris. primus* ſine acceptione retributionum, *alter* ſine retributionis munere, *codd. Tisch.* ſine retributione.
182) amiſi *scripsit librarius. corrector anteriorem literae* a *partem erasit, et posteriorem pro* i *accipiens,* d *superscripsit, ita ut nunc* dimiſit *codex praebeat, id quod reliqui quoque habent. sed* amiſi *tenendum est.* amittere *est fortlaszen, significatio apud antiquos haud inusitata teste Donato ad Ter. Heaut.* 3, 1, 71: *v. Forcell. lex. s. v.* 183) uere *in rasura, a librario ipso ut videtur scriptum.* 184) *Vertas die Groszheit der Wunder, die gewaltigen Wunder. perperam R. Hofmannus p.* 105 *vertit die Wunder der Kraft* magnalia virtutum *sunt res praeclare miraculis effectae. de vocabulo* magnalia *v. Forcell. et Cangium s. v., Oehlerum ad Tertull. ad ux.* 2, 7, *c.; de vocab.* virtus *v. supra adnot.* 20.
185) *Quae hic narrata sunt de duabus obstetricibus, vario modo discrepantia a relatione protevangelii Jacobi cap.* 19. 20 *et evangelii infantiae arabici c.* 2—4 *(Thilo p.* 67 *sqq. Tischdf. p.* 172*), secuti sunt Hrodsvitha* e1r. *fin.* — v. *fin. et Cuonradus Fuozesbrunnensis* 76, 31 — 78, 44. *imitatus est nostrum locum etiam Wernherus* 196, 2 — 197, 36, *sed multa ex suo ingenio mutavit. nam praeter ea quae jam supra observavimus adnot.* 177, *feminae illae munere suo funguntur tantum in infante curando lavando fasciis involvendo, matrem non tractantes, quam simul atque tangunt statim quasi mortuae prolabuntur. sane indignum poetae visum est majestate deiparae cujus corpus manibus mortalibus eo modo quo in nostro libro fit tangatur et contrectetur. deinde rem habent etiam Philippus Cartusianus* 2104 — 2187 *et Waltherus Reinav.* 58, 49 — 59, 33 *rem omisit auctor Passionalis.* 186) et *superscriptum.* 187) reſtituetur *omnes,* reſtitueretur *Vinc. Bell. l. c. cap.* 89. 188) *De pastoribus obiter agitur in libro nostro et in evang. infant. arab. c.* 4 *(Thilo p.* 69, *Tischdf. p.* 172 *sq.). copiose rem narrat Lucas* 2, 8—20, *quem sequuntur Wernherus* 198, 22—199, 23, *Cuonradus* 78, 53 *sqq., auctor Passionalis* 19, 92 — 20, 59, *Philippus Cart.* 2188 — 2231, *Waltherus Reinav.* 61, 32 — 62, 43. *obiter de hac re agit et Hrodsvitha* e1v. *fin.* 189) *Hunc de stella salvatorem praedicante libri nostri locum sequitur Wernherus* 203, 5—19, *Cuonradus* 79, 38—47. *cf. Philippus* 2236—2247 *et Walth. Reinav.* 61, 12 *sqq.* 190) eſt *superscriptum a librario ut videtur ipso.* 191) *Reliqui* cognouit *cum vulg. vers. Jesaiae* 1, 3.

rem ſuum/ et aſinuſ preſepe domini ſui. Ipſa autem animalia eundem in medio ſui [192]) habenteſ
inceſſanter adorabant eum. Tuncque [193]) adimpletum eſſe uidetur quod per abacuc prophetam
dicitur. In medio duum [194]) animalium innoteſceris [195]). In eodem autem loco moratuſ eſt ioſeph/
[Cap. 15.] et maria cum infante tribuſ diebuſ.[196]) Sexto autem die bethleem ingreſſuſ eſt. ubi compleuit [197])
ſeptem dieſ. Octauo uero die natiuitatiſ circumcidenteſ puervm uocatum eſt nomen eiuſ ieſuſ.
quod uocatum eſt ab angelo antea. quam in utero conciperetur. [198])

**P**oſt quam autem impleti sunt dieſ purgationiſ marię ſecundum legem moyſi/ [199]) tulerunt
24r. illum in hieruſalem ad templum | domini. Cumque accepiſſet infanſ perithomen/ obtulerunt pro
eo par turturum et duoſ pulloſ columbarum. Erat autem in templo domini uir propheta et iuſtuſ
nomine ſimeon/ annorum centum duodecim. Hic reſponſum a deo acceperat/ quod non guſtaret
mortem niſi uideret chriſtum domini dei in carne. Qui cum uidiſſet infantem/ exclamauit uoce
magna dicenſ. Uiſitauit dominuſ plebem ſuam. impleuit deus promiſſionem ſuam. Et feſtinanſ/
adorauit infantem. Poſt hec ſuſcipienſ oſculabatur [200]) amplexanſ eum et dicenſ. Nunc dimitte
24v. ſeruum tuum domine in pace quia uiderunt oculi mei ſalutare tuum [201]). | Quod paraſti ante faciem
omnium populorum/ Lumen ad reuelationem gentium et gloriam plebis tuę iſrael. Erat autem
in templo domini anna prophetiſſa filia phanuel/ que uixerat cum uiro ſuo anniſ ſeptem a uirgi-
nitate ſua. Et hęc uidua erat iam per annoſ octoginta quatuor/ que numquam [202]) diſcedebat de
templo domini. ieiuniiſ et orationibuſ uacanſ. Et hęc accedenſ/ adorauit infantem dicens. Quoniam [203])
[Cap. 16.] in iſto erit redemptio ſeculi. [204]) Tranſacto autem anno [205]) uenerunt magi [206]) ab oriente in hiero-

---

192) *Post* ſui *scriptum est* um *sed linea subterposita deletum.* 193) que *superscriptum a librario ipso ut videtur.*
194) duum *sic noster, reliqui* duorum. duum *forma genet. plur. apud Plautum Sallustium Livium Plinium passim occurrit: v. Neue, latein. Formenlehre* 2, 104 *sq.* 195) *Locum hunc Abacuc* 3, 2 *non secundum versionem vulgatam a nostro laudatum esse sed secundum versionem Alexandrinam* ἐν μέσῳ δύο ζώων γνωσθήσῃ *jam monuit Thilo p* 384. *vide Hieronymi comment. in Abacuc in edit. Vallarsii* 6, 633 *sqq. Ceterum duo animalia adoravisse infantem narrant Wernherus* 198, 2—14, *Cuonradus* 80, 15 *sqq., auctor Passionalis* 19, 58—80, *Philippus* 2096 *sqq* , *Waltherus Reinav.* 59, 39 *sqq.* 196) *Post* diebuſ *punctum desideratur in cod. nostro.* 197) *Post* ubi *spatium duabus literis deletis vacuum. scriptum fuerat compendii nota adhibita* erat. *superscripsit librarius ipse ut videtur* compleuit. 198) *Locus ex evang. Lucae* 2, 21 *sumptus, neque vero ad verbum cum vers. vulg. congruens v. Hieron. opp. ed. Vallars.* 10, 776.
199) ſecundum legem moyſi/ *margini adscriptum a librario ipso.* 200) *Post* oſculabatur *spatium duabus fere literis deletis vacuum. scriptum fuisse puto* et. 201) *Post* tuum *linea addita est, qua indicetur ea quae subsequantur initio folii versi ad eandem sententiam pertinere.* 202) numquam *sic. v. adnot.* 18. 203) Quō *codex. v. adnot.* 143. 204) *Etiam hic totus locus de Christo in templum delato ex evang. Lucae* 2, 22—32. 36—38 *sumptus est. verba non omnia cum versione vulgata congruunt. Ceterum hanc rem narrant Hrodsvitha e2r. fin. et v. init., Wernherus* 206, 35 — 207, 27, *Cuonradus* 80, 68 — 81, 20, *auctor Passionalis* 26, 46 — 27, 85, *Philippus* 2668—2733, *Waltherus* 70, 12—47. 205) *Sic codex noster solus. Venetus* transacto ſecundo anno, *Laur.* transactis duobus annis; *Paris. primus* transactis duobus diebus *scil. post Christum in templum delatum, Paris. alter* tertio decimo die *scil. post Christum natum. haec in libro nostro de infantia Mariae et salvatoris. quod ad reliquos libros apocryphos attinet, neque protevangelium Jacobi c.* 21 *neque evang. infantiae arabicum c.* 7 *tempus adventus magorum accurate definiunt. idem valet de canonico Matthaei evangelio* 2, 1. *quum in hac re magna dissensio sit, sequitur ut omnino in ordine rerum de quibus hic agimus narratarum inter se differant auctores. plurimi ordinem servant quem habet libri nostri codex Paris. alter, primo circumcisionem, deinde magorum adventum, tertio Christum in templum delatum narrantes, in quibus est Hrodsvitha* e1v. *fin. sqq., Wernherus* 203, 20 *sqq* , *auctor Passionalis* 22, 76—85. 23, 72 *sqq., Philippus* 2430 *sqq., Waltherus* 68, 25 *sqq.*

ſolimam munera deferenteſ magna*/* qui inſtanter interrogabant iudeoſ dicenteſ. Ubi eſt rex qui

---

*ordinem reliquorum libri nostri codicum (cum quibus consentit evang. inf. arab. c.* 5—8*), primo de Christo circumciso, deinde de eodem in templum delato, tertio de magis advenientibus agentium solus secutus est Cuonradus* 80, 50 *sqq. eundem ordinem jam servaverant in enarrandis his rebus et Otfridus lib.* 1 *cap.* 14—17 *et carminis quod Heliand vocatur auctor saxonicus (v. Schmelleri edit.* 15, 17 *sqq.), sequentes sine dubio Tatiani quae fertur evangeliorum harmoniam apud Germanos vulgatam (v. hunc librum ab eod. Schmell. editum p.* 8 *sqq).* 206) magi *viri Zarathustrae cultui dediti, Persae. in protevangelio Jacobi c.* 21 *in. unus e codic. Vatican. praebet* ἦλθον γὰρ μάγοι ἐκ Περσίδος *(Thilo p.* 255, *Tischdf. p.* 39*). in evangelio infantiae arabico c.* 7 *(Thilo p.* 71, *Tischdf. p.* 174*) est* ecce magi venerunt ex oriente Hieroſolymam, quemadmodum prædixerat Zeraduſcht, *et c.* 8 *ejusdem libri ignis cultores aperte vocantur:* ignem pro more ſuo ſuccenderunt eumque adoraverunt. *Persas magos fuisse recte contendit Origenes adversus Celsum, qui Chaldaeos eos appellaverat* 1, 58 *in. (coll. cum* 1, 24 *a. med.* τῶν παρὰ Πέρσαις μάγων οἱ λόγιοι; *Diog. Laert. in prooem.* παρὰ μὲν Πέρσαις μάγοι; *Hesych. et Suid. s. v.* μάγος*). Athanasius de incarn. verbi dei (opp. ed. Bened. Paris.* 1698 *t.* 1 *p.* 79*a):* ἀμέλει ἐν Ἰουδαίᾳ ἐγεννᾶτο καὶ οἱ ἀπὸ Περσίδος ἤρχοντο προσκυνῆσαι αὐτῷ. *Basilius in homil.* 25 *in human. Christi generat. (opp. edit. Paris.* 1638 *tom.* 1 *p.* 510*)* ἔθνος Περσικὸν οἱ μάγοι. *Joannes Chrysostomus de beato Philogonio hom.* 6 *(opp ed. Montfaucon* 1, 498*a):* ὅταν μάγοι μὲν ἄνθρωποι βάρβαροι καὶ ἀλλόφυλοι ἐκ Περσίδος τρέχωσιν *et ib p.* 499*c.* ἐξῆλθον ἀπὸ Περσίδος οἱ μάγοι. *idem in homil. in Matth.* 7 *tom.* 7 *p.* 104*a:* ἀπὸ Περσίδος ἐλθόντες οἱ μάγοι. *ibid. p.* 111*b* οἱ μάγοι ἕως μὲν ἦσαν ἐν τῇ Περσίδι τὸν ἀστέρα ἑώρων. *porro Diodorus Tarsensis in Photii biblioth. CCXXIII (edit. Hoeschelii Rothom* 1654 *p.* 704*). Theodoretus in hist. eccles. l.* 5 *c.* 38. *auctor operis imperfecti in Matth. hom.* 2 *(opp. Jo. Chrysost. ed. Montfaucon t.* 6 *p. XXVIII in.) habet:* qui ſunt magi? viri orientales qui venerunt a Perside. *Juvencus in hist. evang.* 1, 241 hinc jubet Herodes Perſas pertendere greſſum. *Prudentius in hymno* 12 *cathemer.* en Persici ex orbis ſinu, ſol unde ſumit januam, cernunt periti interpretes regale vexillum magi. *alii Persiam et vicinam Babyloniam confundentes Chaldaeos vocant magos, in quorum numero est Claudianus in epigr.* 49 *(edit. Gesneri p.* 711*), Alcuinus in libro de divinis officiis (ed. Quercet. col.* 1014*), Hrabanus Maurus in Matth. c.* 2 *(edit. Colon.* 5, 13*g). sequitur hos Wernherus poeta noster* 203, 33. *magis confundit regiones Petrus Comestor qui in hist. evang. c.* 7 *habet* venerunt magi de finibus Perſarum et Chaldeorum, ubi fluvius eſt Saba, a quo et Sabea regio dicitur. *quem locum ad verbum transcripserunt et Vincentius Bellov. in spec. hist. c.* 91 *et Jacobus a Voragine in leg. aur. c.* 14 *(edit. Grässii p.* 93 *med.). alii magos ex Arabia Christum adoratum venisse dicunt, cujus erroris auctor exstitisse videtur Justinus Martyr: in dialogo cum Tryphone habes c.* 77 *ad fin. (opp. ed. Otto* 1, 2 *pag.* 266*)* ἅμα γὰρ τῷ γεννηθῆναι αὐτὸν μάγοι ἀπὸ Ἀῤῥαβίας παραγενόμενοι προσεκύνησαν αὐτῷ *et plures locos in cap. seq.* 78 *et in cap.* 106 *fin. p.* 362. *secutus est Justinum Tertullianus adv. Marcionem* 3, 13, *adv. Judaeos c.* 9, *respiciens Psalmum* 72, 10 (reges Tharſis et inſulæ munera offerent, reges Arabum et Saba adducent) *et Jesaiam* 60, 6 (omnes de Saba venient aurum et thus deferentes): *v. Hieronymum ad hos locos in edit. Vallarsii* 7, 2, 250 *med.* 4, 722 *sqq. etiam in tractatu de stella et magis, qui vulgo adscribitur Cypriano (opp. ed. Baluzius col. LXXXIX) Arabia magorum patria perhibetur:* nec multo poſt Arabum fines hujus rei *(scil. nativitatis salvatoris)* notitia penetravit et incolis Sabba præclari ſtella luminis cœleſtis ortum numinis novis ſplendoribus indicavit. erant in illis regionibus viri ſiderum inſpectionibus aſſueti *etc. alii etiam Aegyptum vel Nubiam vel Aethiopiam somniaverunt, respicientes Psalmum* 67 *(*68*),* 32 venient legati ex Aegypto, Aethiopia præveniet manus ejus deo, *ut Hilarius Pictaviensis ad hunc locum (opp. ed. Bened.* 1, 237*) et auctor sermonis in diem innoc. (Augustini serm. de sanctis* 9, *in opp. edit Bened.* 218, *tom.* 5 *app. p.* 257*)* magi de extrema venientes Aethiopiæ parte, *trium magorum unum saltem huic regioni adjudicantes (quocirca etiam pictores trium unum Aethiopem pingere solent), ut est in cantilena illa populari, quam adhuc canunt qui die epiphaniae per vias et domos circulantur pueri in quibusdam Thuringiae et Saxoniae regionibus:*

Es treten daher von weiten und fern
die heilgen drei Könge mit ihrem Stern.

Wir waren einander unbekannt.
König Kaspar kam aus Mohrenland,

König Melchior aus Persia,
König Balthaſar aus Arabia.

Und als wir kamen an den Jordan,
da trafen wir uns einander an. *etc.*

25r. natvs eſt uobiſ? | Uidimuſ enim ſtellam eiuſ in oriente/ et uenimuſ adorare eum. Hęc opinio per-

---

*hinc etiam in Goethii carmine jocoso quod inscriptum est* Epiphaniasfeſt *(in carm. lyr. lib.* 1*) et incipit* Die heilgen drei Könge mit ihrem Stern ſie eſzen, ſie trinkn und bezahlen nicht gern, *tres varii coloris homines occurrunt, juxta album et fuscum etiam niger. et haec quidem de patria magorum. jam ad alia transeamus. Satis nota esse censeo quae in Numeris c.* 22—24 *(fabulosa ut videtur et poesin epicam redolentia) referuntur de Balaam hariolo. qui degens in oppido Pethor (i. e. apertio, apocalypsis; Φαθοῦρα in vers. graeca) ad Euphratem in Mesopotamia sito, a Balak rege arcessitur, ut Israelitas ex Aegypto egressos arte sua a finibus Moabitarum arceat. maledicere eis a rege jussus, a deo ut eis benedicat cogitur nec non ut futura canat Messiamque eorum venturum vaticinetur* 23, 7—10. 18—24. 24, 3—9. 15—24, *inprimis* 24, 17 orietur ſtella ex Jacob et conſurget virga ex Israel. *haec Balaam harioli gentilis de futuro Israelitarum regno et Messia vaticinatio inde a primis ecclesiae christianae temporibus ad Christi adventum stellae signo indicatum relata est: v. Justinum Martyrem in dial. c. Tryph.* 106 *fin., Irenaeum* 3, 9, 2, *Athanasium de incarn. verbi (opp. ed. Bened.* 1, 75*), alios permultos. neque vero eo contenti fuerunt veteres qui e vaticiniis Judaeorum Messianis historiam evangelicam et augere et accuratius definire studuerunt, sed magos qui stellam sequentes Christum adoratum venerunt, hujus stellae appariturae ex vaticinio illo Balaam harioli quasi antecessoris, cujus auctoritatem secuti sint vel a quo ipsi originem duxerint, notitiam habuisse finxerunt. quod nescio an quisquam scripserit ante Origenem, in cujus fragmentis in catenis graecis asservatis est hoc (opp. ed. de la Rue t.* 2 *p.* 321*): φασὶ τὸν Βαλαὰμ ἔχειν φοιτητὰς τῇ τέχνῃ μαθητεύσαντας αὐτῷ τῇ μαγικῇ καὶ δόξαν περὶ αὐτοῦ ἔχοντας ἀναγράψασθαι τὰς προφητείας αὐτοῦ καὶ καταλιπεῖν, ἐν αἷς καὶ τὸ ἀνατελεῖ ἄστρον. ὃ καὶ ἐκ πατρικῆς παραδόσεως καὶ διδαχῆς παραλαβόντες οἱ μάγοι ἐπὶ τὴν Βηθλεὲμ παρεγένοντο. in ejusdem Origenis homilia* 13 *in Numeros legimus l. c. (sunt verba latina Rufini interpretantis, graeca desunt):* verbum ſuum injicit in os ejus (*scil. deus in os Balaami*), prohibens maledictionem fieri per dæmones, ut benedictionibus locum daret et pro maledictis proferat Balaam benedictiones et prophetias, quæ poſſunt ædificare non ſolum Israel ſed et reliquas gentes. ſi enim a Moyſe prophetiæ ejus ſacris inſertæ ſunt voluminibus, quanto magis deſcriptæ ſunt ab iis qui habitabant tunc Meſopotamiam, apud quos magnificus habebatur Balaam quosque artis ejus conſtat fuiſſe discipulos? ex illo denique fertur magorum genus et inſtitutio in partibus orientis vigere, qui deſcripta habentes apud ſe omnia quæ prophetaverat Balaam, etiam hoc habuerunt ſcriptum quod ‘orietur ſtella ex Jacob et exſurget homo ex Iſrael’. hæc ſcripta habebant magi apud ſemet ipſos, et ideo quando natus eſt Jeſus, agnoverunt ſtellam et intellexerunt adimpleri prophetiam magis ipſi quam populus Iſrael, qui ſanctorum prophetarum audire verba contempſit. illi ergo ex iis tantum quæ Balaam ſcripta reliquerat agnoſcentes adeſſe tempus venerunt. *in Basilii hom.* 25 *in hum. Christi generat. (opp. edit. Paris.* 1638 *t.* 1 *p.* 510*) est: ἔθνος Περσικὸν οἱ μάγοι μαντείαις καὶ ἐπαοιδίαις καὶ φυσικαῖς τισιν ἀντιπαθείαις προσέχοντες καὶ περὶ τὴν τήρησιν τῶν μεταρσίων ἐσχολακότες. ταύτης τῆς μαντείας ἔοικεν εἶναι καὶ Βαλαάμ. et ibid. p.* 511 *τάχα που τῇ προφητείᾳ τοῦ Βαλαὰμ ἀκολουθοῦντες καὶ ἐνταῦθα, ὃς περὶ τοῦ Χριστοῦ τοιαῦτα εἶπεν etc. porro Diodorus Tarsensis episcopus in Photii bibliotheca CCXIII (ed. Hoeschelius Rothom.* 1653 *p.* 704*): λέγει δὲ τοὺς μάγους παραλαβεῖν μὲν παρὰ Χαλδαίων ὡς ἀστὴρ ἔσται τῆς κατὰ σάρκα γεννήσεως τοῦ κοινοῦ σωτῆρος μηνυτής. ἐκείνοις δὲ ὡς ὁμοτέχνοις ἀναθεῖναι τὴν πρόῤῥησιν τὸν Βαλαὰμ ἐκεῖνον etc. Gregorius Nyssenus in homil. in diem nat. Christi (edit. Paris.* 1638 *t.* 3 *p.* 345*d): ἀκούεις τοῦ οἰωνιστοῦ Βαλαὰμ ἐπιπνοίᾳ κρείττονι τοῖς ἀλλοφύλοις ἐπιθειάζοντος ὅτι ἀνατελεῖ ἄστρον ἐκ Ἰακώβ; ὁρᾷς τοὺς ἀπ' ἐκείνου τὸ γένος κατάγοντας μάγους ἐπιτηροῦντας κατὰ τὴν πρόῤῥησιν τοῦ προπάτορος τὴν τοῦ καινοῦ ἀστέρος ἀνατολήν; animum advertas primum hunc Gregorium (sec.* 4*) contendisse magos a Balaam tanquam ab auctore generis duxisse originem. idem facit ad historiam quandam suo tempore circumlatam provocans Ambrosius in evang. Luc. c.* 2 *(edit. Colon. t.* 3 *p.* 14*d)*: ſed tamen qui ſunt iſti magi, niſi qui (ut hiſtoria quædam docet) a Balaam genus ducunt, a quo prophetatum eſt ‘orietur ſtella ex Jacob’? iſti ergo ſunt non minus fidei quam ſucceſſionis hæredes. *Hieronymus in Isaiam c.* 19 *(ed. Vallars.* 4, 290*b) praebet:* magi de oriente ducti a dæmonibus vel juxta prophetiam Balaam intelligentes natum filium dei *et ibid. c.* 47 *(apud Vallars.* 4, 553*)* unde et magi de oriente venerunt, domini ſtellam ſe vidiſſe dicentes vel ex artis ſcientia vel ex vaticinio Balaam prophetæ ſui. *idem in Matth.* 2 *(ed. Vall.* 7, 14*a) dicit*: magi ſtellam futuram Balaam, cujus ſucceſſores erant, vaticinio noverant. *auctor operis imperfecti in Matth. (Jo. Chrysost. opp. ed. Montfaucon* 6, *XXVIIId) dicit*: legi apud aliquem *(opinor apud Origenem)* magos iſtos ex libris Balaam divinatoris apparituræ hujus ſtellæ ſcientiam accepiſſe. *Pseudo-Cyprianus in tractatu de stella et magis (Cypr. opp. ed. Baluz. LXXXIX):* erant in illis regionibus *(scil. in Arabum finibus)* viri ſiderum inſpectionibus aſſueti qui arte mathematica vim discurſumque noverant planetarum. hi ex vaticiniis Balaam olim audierant ſtellam oriri in Jacob et hominem in Israel, cujus fortitudo quasi rhinocerotis, ad quem in trieribus

uenit ad herodem regem/ et ita eum terruit. ut mitteret ad ſcribaſ et phariſeoſ et [207]) doctoreſ

---

de Italia venirent qui ſuperarent Aſſyrios et vaſtarent Hebræos, quo tempore nec in Jacob idolum nec in Iſrael ſimulacrum eſſet [*v. Num.* 23, 22. 23. 24, 8. 17. 24] diu homines illi hujus prophetiae proventum expectaverant, et ubi venit plenitudo temporis, orto repente novo ſidere, ad antiqua recurrentes volumina, tam teſtimonio muniti quam ſigno, dromadis invecti in Judaeam ſtella duce perveniunt. *ab Isidoro Hispalensi in libro de nativ. dom. c.* 13 *(opp. ed. Paris.* 1601 *p.* 551*a) vocatur Balaam* princeps artis magorum qui ab orientis partibus Christum adoratum venerunt. *Beda in Matth. c.* 2 *(opp. edit. Basil.* 5, 4*)*: magi ſic nominantur propter aliquam philoſophiam in qua ſucceſſores Balaam creduntur et propter prophetiam ejus incitati viſa nova ſtella natum regem quærebant, qui confringere omnes duces alienigenarum prophetatus eſt ex divino eorum. *Alcuinus in libro de divin. offic. (opp. ed. Quercetan. Lut. Par.* 1617 *col.* 1014*)*: cum Chriſtus nuper ex alvo virginis egrederetur, magi Chaldæi in oriente ſtellam videntes nimia claritate fulgentem ita ut ſolem luce ſuperaret, ut erant edocti in curſu aſtrorum [*hinc Otfridi illud* 1, 17, 9 *sq.* thie irkantun ſunnûn fart, ſterrôno giruſti: thaz wârun iro liſti], animadverterunt hanc eſſe ſtellam, quam olim Balaam Madianita, cujus traditionem ſequebantur, prædixerat ita adfuturam 'orietur ſtella ex Jacob' et rel. videbatur enim ſidus per diem. *addit Alcuinus* iſtorum magorum primus Zoroaſter rex extitit, a quo originem feruntur traxiſſe. *Hrabanus Maurus in comment. in Matthaeum* c. 2 *(edit. Colon.* 5, 13*h)*: ad confuſionem Judæorum, ut nativitatem Chriſti a gentibus diſcerent, oritur ſtella in oriente, quam futuram Balaam, cujus ſucceſſores erant, vaticinio noverant, ſicut in numeris legitur. ait enim inter cætera 'orietur ſtella ex Jacob et exurget homo ex Iſrael'. idcirco autem magi apud Iſrael præcipue natum regem requirunt, quia per Balaam de Iſrael naſciturum eum audierant. *Christianus Grammaticus in expos. in Matth. c.* 2 *(Bibl. patrum max. t.* 15 *Lugd.* 1677 *p.* 936*)*: fuerunt de genere Balaam isti tres reges. *etiam posteriores medii aevi scriptores magos successores doctrinae vel generis Balaami nuncupant, ut Theophylactus in Matth.* c. 2: *λέγουσι τοὺς μάγους τοῦ Βαλαὰμ ἀπογόνους εἶναι τοῦ μάντεως. εὑρόντας δὲ τὸν ἐκείνου χρησμὸν, τὸ ἀνατελεῖ ἄστρον ἐξ Ἰακώβ, νοῆσαι τὸ κατὰ Χριστὸν μυστήριον, καὶ διὰ τοῦτο ἐλθεῖν θέλοντας ἰδεῖν τὸ τεχθέν. porro Petrus Comestor in hist. evang. c.* 7: ſucceſſores fuerunt iſti doctrinæ Balaam qui ſtellam noverunt ejus vaticinio et a magnitudine ſcientiæ magi nuncupati ſunt. *Jacobus a Voragine in leg. aur. c.* 14 *(edit. Gräsii p.* 89 *a. med.)*: iſti reges fuerunt ſucceſſores Balaam et ad viſionem ſtellæ venerunt propter illam prophetiam patris ſui 'orietur ſtella' etc. *Petrus de Natalibus in catal. sanct. lib.* 2 *cap.* 48 *(edit. Venet.* 1506 *fol.* 26*r.)*: hi ſapientiſſimi philoſophi et aſtrorum ſcientiæ perit ſuceſſores Balaam arioli fuerunt et ad viſionem ſtelle venerunt ex illa prophetia 'orietur ſtella' *etc. Vincentius Bellov. l. c.* 6, 92 *auctoris operis imp. in Matth. locum supra laudatum transcripsit. haud mirum quod etiam poetae hanc communem opinionem secuti sunt, ut auctor Passionalis qui haec habet (ed. Hahn.* 23, 80 *sqq.)*: die herren, als ich hân virnumen, von aldere wârn bekumen von dem prophêten Balaâm, deme die wîsheit bequam an virnunftiger volleiſte îdoch von gotes geiſte, dâr inne er hette vor geſeit, wie des ſternes clârheit von Jâcôbe ſolde erſchînen. des geloubeten die ſînen und hoften nâch der worte ſage des ſternes von tage ze tage, als man in ſagete dâ bevorn. *sed etiam alia addit poeta. hos tres reges tunc temporis ex consuetudine sua montem ascendisse, deum precantes ut vaticinium tandem impleret, stellam praenuntiatam speculantes. et vere preces audivisse deum*: bî ſî quam ein lichter ſtern in eines kindes formeſchaft. an ſchône lûchtender kraft was ez luſtſam genûch: ein crûce ûf ſîme houbte ez trûch wol lûter unde goltfar. die kuninge wanten alle dar ir ougen unde irs herzen ſin. dô ſprach daz kint alſus zû in 'ir herren, ir ſult ûch bewarn und in daz lant balde varn daz Judêâ iſt genant. dâ vindet ir den kunenc zu hant, den ûwer wille ſûchen pflît, und iſt geborn in dirre zît. *rem paulo mutatam ante medium sec.* 14 *narrat Hermannus Fritslarensis in vitis sanctorum (Deutsche Mystiker hrsg. v. Franz Pfeiffer* 1, 47, 27 *sqq.)*: iz iſt maniger leige ſin von diſen kungen. di einen ſprechen daz ſi heizen von Caldêâ und daz ir zwelfe wêren. der hîlden ie drî ein virteil jârs die wache und enquâmen nummer von dem berge tac noch nacht, und warteten des ſternen, dô von Bâlâm der prophête hâte geſprochen 'ein ſterne ſal ûz gên von Jâcob': daz iſt daz ein kint ſal geborn werden von Jâcobis geſlechte. dô diſe drî kunige wâren ûffe dem berge, wan si di wiſeſten wâren, dô irſchein in dirre ſterne an der nacht dô unſer herre geborn wart. Criſoſtomus und andere lêrer ſprechen, her irſchine in ein jâr vore: und diz mag beidez wôr ſîn. dô her in irſchein, dô ſtunt der ſterne ſtille daz jâr und lîz ſich di kunige bereiten, und an der Kriſtis nacht dô begunde her zu gêne, und ein ſchône jungvrowe di irſchein den kunigen in deme ſternen und hâte ein ſûberlich kint in irme ſchôze und ſprach zu den kungen 'zoget in daz lant zu Judêâ: dâ vindet ir den nûwen gebornen kunig'. und der ſterne ging vor den kunigen als ein getrûwer leiter, und di jungvrowe ſpilete mit dem kinde und daz kint mit der mûter in deme ſternen. dâr umme enmerketen ſi nit daz di ros und di pfert ſô ſêre gingen, wan ſi quâmen in dri-

populi. et inquireret ab eiſ ubi chriſtum naſciturum prophetę predixiſſent. At illi dixerunt. In

---

zehen tagen von oriente biz zu Jerûſalêm. *vetus haec fabula, ab auctore operis imperfecti in Matthaeum ex ore populi tradita. qui postquam retulit legisse se apud aliquem magos ex libris Balaam stellae scientiam accepisse (quem locum supra exhibuimus) in hunc modum pergit (l. c. p. XXVIII)*: audivi aliquos referentes de quadam ſcriptura, etſi non certa tamen non deſtruente fidem ſed potius delectante, quoniam erat quædam gens ſita in ipſo principio orientis juxta oceanum, apud quos ferebatur quædam ſcriptura, inſcripta nomine Seth, de apparitura hac ſtella et muneribus ei hujusmodi offerendis, quae per generationes ſtudioſorum hominum patribus referentibus filiis ſuis habebatur deducta. itaque elegerunt ſeipſos duodecim quidam ex ipſis ſtudioſiores et amatores myſteriorum cæleſtium et poſuerunt ſeipſos ad exſpectationem ſtellæ illius. et ſi quis moriebatur ex eis, filius ejus aut aliquis propinquorum, qui ejusdem voluntatis inveniebatur, in loco conſtituebatur defuncti. dicebantur autem magi lingua eorum, quia in ſilentio et voce tacita deum glorificabant. hi ergo per ſingulos annos poſt meſſem trituratoriam aſcendebant in montem aliquem poſitum ibi, qui vocabatur lingua eorum mons victorialis: habens in ſe quandam ſpeluncam in ſaxo, fontibus et electis arboribus amœniſſimus: in quem aſcendentes et lavantes ſe orabant et laudabant in ſilentio deum tribus diebus. et ſic faciebant per ſingulas generationes exſpectantes ſemper ne forte in generatione ſua ſtella illa beatitudinis oriretur, donec apparuit eis deſcendens ſuper montem illum victorialem, habens in ſe formam quaſi pueri parvuli et ſuper ſe ſimilitudinem crucis. et loquuta eſt eis et docuit eos et præcepit eis ut proficiſcerentur in Judæam. proficiſcentibus autem eis per biennium præcedebat ſtella, et neque eſca neque potus defecit in peris eorum. cætera autem quæ geſta referuntur ab eis, in evangelio compendioſe poſita ſunt. tamen cum reverſi fuiſſent, manſerunt colentes et glorificantes deum ſtudioſius magis quam primum et prædicarunt omnibus in genere ſuo et multos erudierunt denique cum poſt reſurrectionem domini Thomas apoſtolus iſſet in provinciam illam, adjuncti ſunt ei et baptizati ab eo facti ſunt adjutores prædicationis illius. *hanc pulchram fabulam totum per medium aevum notam iisdem fere verbis sub nomine Chrysostomi auctoris legis apud Vincentium Belloc. in speculo historiali lib.* 6 *c.* 92, *item quodam modo amputatam apud Jacobum a Voragine in legenda aurea* c. 14 *(edit. Gräsii p.* 89*) et apud Petrum de Natalibus in catalogo sanctorum lib.* 2 *cap.* 48 *(edit. Venet.* 1506 *f.* 26*r.). etiam Wernherum poetam nostrum notitiam ejus habuisse conjicere licet, sed sive lapsu memoriae sive consilio rem mutatam protulit* 203, 33 *sqq.*: Chaldêâ iſt ein lant an der ſchrift alſô genant, dâ ſtuonden nâch der ſage drîe kunige an Chriſtes tage ûf einem teidinge, die wâren kunlinge. ſie wolten underſcheiden ir riche unde ir eigen, want ſie zewurfn ungerne. dô kom der lichte ſterne. *Otfridus fabulam aliquam sine dubio designat verbis quae magos loquentes facit his* 1, 17, 27 ſô ſcribun uns in lante man in worolti altê, *ex quibus vero non clare patet utrum hanc designet de qua modo disputavimus an illam de origine magorum a Balaam ducenda. erravit ergo Kellius contendens (in prooem. ad Otfridum* 1, 60*) poetam in componendis versibus* 5—66 *cap.* 17 *libri* 1 *solum Matthaeum evangelistam* 2, 1—11 *esse secutum. ceterum et auctor Passionalis et Hermannus Fritslarensis fabulam quam tradidit Pseudo-Chrysostomus non integram exhibuerunt, sed aliquantum eam mutaverunt eo quod pro libro apocrypho illo Seth Balaam prophetam auctorem vaticinii posuerunt, conjungentes duas res ut videtur inter se diversas. nam Balaam ad hanc fabulam prorsus non pertinet; pertinere ad eam vero alium prophetam, si subtilius rem investigaveris, cognosces. provocatur in fabula Pseudo-Chrysostomi ad librum Seth relinquamus titulum libri, qui ad rem nihil attinet. quaeritur, quis librum scripserit, quis auctor libri, vel potius vaticinii fuerit: in eo vertitur res. contendo equidem nullum alium libri auctorem fuisse vel potius fuisse creditum esse nisi Zarathustram magorum cultus et religionis conditorem ipsum. cujus alius fidem habuissent magi in tanta re nisi illius religionis suae auctoris, quem omnium sapientissimum et divino numine inflatum colebant? quod contendimus testimoniis probamus his. in evangelio infantiae arabico c.* 7 *scriptum legimus, venisse magos ex vaticinio Zarathustrae*: quemadmodum prædixerat Zeraduſcht. *ergo qui scripsit illum librum arabicum cognitum habuit tale vaticinium seu a Zarathustra vere editum seu sub ejus nomine fictum. porro in historia dynastiarum Abul-Pharajii, scriptoris christiani arabici seculi* 13, *legimus haec (ed. arab et lat. ab Edvardo Pocockio Oxon.* 1663 *p.* 54, *versionis theot. G. L. Baueri Lips.* 1783 *t.* 1 *p.* 77*)*: dicitur etiam Zeraduſcht fuiſſe e diſcipulis Eliæ prophetæ. hic Perſas docuit de manifestatione domini Chriſti, jubens eos illi dona afferre, indicavitque futurum ut ultimis temporibus conciperet virgo fœtum absque contactu viri, cumque nasceretur, apparituram ſtellam quæ interdiu luceret et in cujus medio conſpiceretur figura puellæ virginis. ‘vos autem, o filii mei, ante omnes gentes ortum ejus percepturi eſtis. cum ergo videritis ſtellam, abeuntes quo vos illa dirigit, natum iſtum adorate, offerentes ipſi munera veſtra. eſt ſiquidem ille verbum quod cœlum condidit.’ *hanc scriptoris arabici fabulam ad illam Pseudo-Chrysostomi pertinere ita ut illa hac compleatur, nemo non videt. qui utramque fabulam tradiderunt scriptores fuerunt orientales, narrantes quae ore christianorum orientalium vel scriptis*

bethleem iuda. Sic enim ſcriptum eſt [208]). Et tu Bethleem iude non eſ minima inter principeſ

---

*eorum apocryphis circumferebantur. edideritne vere antiquis temporibus tale vaticinium Zarathustra, non magni est nobis momenti: creditum esse eum id edidisse, hoc agitur. nec causa talis vaticinii fingendi defuit christianis, quippe qui sperarent fore ut eo facilius homines Zarathustrae cultui addictos ad Christi doctrinam converterent. sed audiamus quae Abul-Pharajius paulo infra de magorum in Hierusalem adventu narrat l. c. p.* 70, *vers. theol. p.* 100 *sq.*: magi autem donaria ſua ex oriente allata Chriſto obtulerunt, aurum myrrham et thus. qui cum per Herodem transiissent, ei de rebus eorum interroganti responderunt. 'magni nominis quidam apud nos fuit qui in libro quodam quem compoſuit nos admonuit hæc memorans "futurum eſt ut in Palæſtina naſcatur puer e cœlo oriundus, cui ſerviet maxima mundi pars. ſignum autem apparitionis ejus hoc erit, quod viſuri eſtis ſtellam peregrinam quæ vos eo ubi manet diriget. eam ergo cum videritis, acceptis auro myrrha et thure, profecti illa ipſi offerte ipſumque adorate, deinde revertimini, ne vos calamitas gravis occupet!" nunc autem aparuit nobis ſtella, venimus igitur ad perficiendum illud quod nobis præceptum eſt.' *jam eo ventum est ut carminis saxonici quod Heliand vocatur locum proferamus hucusque obscurum, cui hac scriptoris arabici narratione miro quodam modo lumen allatum iri speramus. tres viri longo itinere ex oriente peracto Hierosolymam ingressi Herodem regem adeunt. cui causam adventus quaerenti respondent (v.* 563 *sqq.,* 17, 7 *sqq. Schm.; locum exhibemus ex nostra emendatione):*

wi thi te wârun mugun
ûſa arundi ôdho gitelljan
giſeggjan ſôthlîco, bi hwiu wi quâmun an theſan ſîth herod
fan ôſtan theſaro erdhu. ju wârun thâr adhaljes man,
gôdſprâkeâ gumon, theâ ûs gôdes ſô filu,
helpa gihêtun fan hebhancuninge
wârun wordun. than was thâr ên wittîg man,
frôd endi filu wîs, forn was that ju
ûſa aldiro ôſtar hinan. thâr ni warth ſîdhor ênig man
ſprâkônô ſô ſpâhi, mahta rekkjan ſpel godes:
hwand im habda forliwan liudjô hêrro
that he mahta fan erdhu uppa gihôrean
waldandes word: bithiu was is giwit mikil,
thes thegnes githâhtî. thô he thanan ſcolda
afgebhan gardôs, gadulingô gimang,
forlâtan liudjô drôm, ſôkjan lioht ôdhar,
thô he im is jungron hêt gangan nâhor,
erbhiwardôs, ende is erlun thô
ſagda ſôthlîco (that al ſîdhor quam,
giwarth an theſaro weroldi), that ſcoldi cuman ên wis cuning
mâri endi mahtîg an theſan middilgard
thes betſton giburdjes; that it ſcoldi weſan barn godes;
that he theſero weroldes waldan ſcoldi
ie te êwandaga, erdhun endi himiles.
he quath that an them ſelbon daga the ina ſâlîgna
an theſan middilgard môdar gidrôgi,
ſô quath he, that ôſtana ên ſcoldi ſcînan
himiltungal hwît, ſulîc ſô wi her ne habdîn êr
undar twiſc erdha endi himil ôdhar hwergin
ne ſulic barn ne ſulîc bôcan. hêt that thâr te bedu fôrin
threâ man fan thero thiodu, hêt ſiê thenkean wel,
hwan êr ſie giſâwîn ôſtana up ſidôjan
that godes bôcan gangan, hêt ſiê garuwjan ſân,
hêt that wi im folgôdîn, ſô it furi wurdhi

iuda. Ex te enim exiet dux qui regat populum meum ifrael. Tunc herodef[209]) rex uocauit ad
fe magof/ et diligenter inquifiuit ab eif. quando eif aparuiffet ftella. Et mifit eof in bethleem
dicenf. Ite et diligenter inquirite puerum/ et dum inueneritif[210]) eum renuntiate mihi ut ego
25v. ueniam et adorem | eum. Euntibuf autem magif/ aparuit eif ftella/ et quafi ducatum preftans[211])
illif ante cedebat eof in uia. quoufque peruenirent ubi erat puer. Uidentef autem ftellam magi/
gauifi sunt gaudio magno[212]). Et ingreffi domum/ inuenerunt infantem iefum fedentem in finu
marię. Tunc aperuerunt thefaurof fuof/ et ingentibuf muneribuf munerauerunt mariam et ioseph.

---

weftar obhar thefa werold. nu is it al giwârôd fô
cuman thurh craft godes. the cuning is gifôdid,
giboran bald endi ftrang: wi gifâhun is bôcan fcînan
hêdro fan himiles tunglun, fo ic wêt that it hêlag drohtîn
marcôda mahtig felbho. wi gifâhun morgnô gihwilîkes
blîcan than berhton fterron, endi wi gêngun aftar them bôcna herod
wegas endi waldas hwîlôn. that wâri ûs allarô willeônô mêft
that wi in felbhon gifehan môftîn, wiffîn hwâr wi ina fôkean fcoldîn
an thefumu kêfurdôma, undar hwilîcumu thefarô cunneô.'

*totum hunc locum qui copiosis verbis et explicat et auget ea quae Matthaeus evangelista* 2, 2 *simplicissimis verbis praebet his* ubi eft qui natus eft rex Judæorum? vidimus enim ftellam ejus in oriente et venimus adorare eum, *non proprio poetae ingenio fictum additumque esse posse, quicunque cognoverit poesin nostram ad res christianas spectantem concedet. minime poeta hic (ut sunt Schmelleri verba in prooemio ad gloss. saxon. p. XII) 'religiose arcuit fabulosiora quaeque quae certe illa jam aetate irrepserant commenta', sed addidit iisque institit. quae quum ita sint, quaeritur, quo ex fonte fabulosam hanc narrationem hauserit. tacuerunt viri docti, ut fieri solet in rebus difficilioribus, usque ad Ernestum Windischium, scholae germanicae Lipsiensis discipulum, qui in libro nuper edito der Heliand und seine Quellen (Leipzig, Vogel,* 1868*) p.* 48 *sq. etiam de hoc loco disputans, verbis Hrabani Mauri in Matth.* 2 *p.* 13*h fultus (exhibita a nobis sunt supra), ad Balaam ejusque prophetiam poetam saxonicum respicere contendit, id potissimum asserens, verba saxonica v.* 571—576 *sumta esse e Numeris* 24, 16 dixit auditor sermonum dei, qui novit doctrinam altissimi et vifiones omnipotentis videt, qui cadens apertos habet oculos. *de paucis his verbis quidem certare nolo. etiam accuratius opinionem suam defendere potuit juvenis doctissimus, si praeter Hrabanum testimonia nostra, quae sunt plurima, supra allata cognita habuisset. tamen persuasum nobis est, non ad Balaam in loco illo respicere poetam, sed ad Zarathustram Christum vaticinatum. mira sane res, Zarathustra quantumvis ficticius in carmine nostro saxonico occurrit. conferas quaeso accurate Abul-Pharajii locos cum verbis saxonicis, nec dubito quin sententiae nostrae socius fias. in altero scriptoris arabici loco rem habes eodem ordine narratam quo fit in carmine saxonico, eo tantum levi discrimine interposito ut in hoc vaticinium edidisse propheta moriturus narretur. quum summam locorum consensionem perspexeris, quaeres quomodo fieri potuerit ut auctor saxonicus seculi noni cum auctore arabico seculi decimi tertii miro hoc modo congruat. responsio haud difficilis. narrat auctor arabicus fabulam popularem antiquam longum per tempus propagatam, quam seculo jam sexto in oriente fuisse divulgatam testis est auctor operis imperfecti in Matthaeum. tradita ab hoc auctore fabula leviter mutata, ut fieri solet in fabulis enarrandis, sub praeclaro Chrysostomi nomine inter occidentales quoque late divulgabatur, teste poeta Passionalis, Vincentio Bellovacensi, Jacobo a Voragine, Petro de Natalibus. sed etiam illa quodam modo purior fabulae forma, eam dico quam inferiore tempore etiam Abul-Pharajius audivit, ex oriente in regiones occidentales serpsit: eam nescio a quo auditam auctor carminis saxonici secutus sit oportet. vestigia hujus de qua agimus fabulae usque ad seculum sextum redeunt. sed etiam antiquiora esse conjicere licet. suspicor enim sub Balaam harioli persona iisque quae de origine magorum ab eo ducenda fabulati sunt homines orientales, delitescere Zarathustram vaticinantem. sed jam satis de hoc nunc, plura scribemus alias.*

207) et *superscriptum a librario ipso.*

208) *Mich.* 5, 2.

209) *Vocis* herodef *litera* h *minuta forma superscripta.*

210) *Verbi* inueneritif *syllaba* ne *a librario ipso ut videtur superscripta.*

211) *Verbi* preftans *litera* r *a librario superscripta.*

212) *Post* magno *scriptum est* ualde, *sed interlitum.* valde *hoc loco est in versione vulg. Matth.* 2, 10.

Ipſi autem infanti obtulerunt ſinguli ſingulos aureoſ. Poſt hęc obtulit ei unuſ aurum. alter thuſ. aliuſ uero myrram[213]). Qui cum ad herodem regem reuerti uellent*!* admoniti sunt in ſomniſ ab an-

---

213) *Significationem munerum a magis oblatorum mysticam primus quod equidem sciam habet Irenaeus adv. haer.* 3, 9, 2 *(ed. Stieren* 1 *p.* 453*):* Matthæus magos ait per ea quæ obtulerunt munera oſtendiſſe, quis erat qui adorabatur: myrrham quidem, quod ipſe erat qui pro mortali humano genere moreretur et ſepeliretur; aurum vero, quoniam rex cujus regni finis non eſt; tus vero, quoniam deus qui et notus in Judæa factus eſt et manifeſtus eis qui non quærebant eum. *Origenes adv. Celsum* 1, 60 *ad f.*: *φέροντες δῶρα ἅ, ἵν' οὕτως ὀνομάσω, συνθέτῳ τινὶ ἐκ θεοῦ καὶ ἀνθρώπου θνητοῦ προςήνεγκαν σύμβολα μὲν, ὡς βασιλεῖ τὸν χρυσὸν, ὡς δὲ τεθνηξομένῳ τὴν σμύρναν, ὡς δὲ θεῷ τὸν λιβανωτόν. iisdem fere verbis Basilius in homil.* 25 *in human. Christi generat. (edit. Paris.* 1638 *t.* 1 *p.* 511*) magorum munera interpretatur. minus accurate Joannes Chrysostomus in homil.* 8 *in Matth. (ed. Montfaucon* 7, 118 *sq.)*: *δῶρα προςάγουσι οὐχ ὡς ἀνθρώπῳ ἀλλ' ὡς θεῷ. ὁ γὰρ λιβανωτὸς καὶ ἡ σμύρνα τούτου σύμβολον ἦν. Hilarius Pictav. in comment. in Matth.* 2 *habet (opp. ed. Bened. Veron.* 1730 1, 672*)*: denique oblatio munerum intelligentiam in eo totius qualitatis expressit, in auro regem, in thure deum, in myrrha hominem confitendo. *Hieronymus in comment. in Matth.* 2, 11 *(ed. Vallars.* 7, 1, 14*)*: pulcherrime munerum ſacramenta Juvencus presbyter uno verſiculo comprehendit Thus aurum myrram regique hominique deoque dona ferunt. *sunt haec verba in Juvenci histor. evangel.* 1, 250. *Prudentius cathemer.* 12, 69 *sqq.*: regem deumque adnuntiant thesaurus et fragrans odor turis Sabæi, ac myrrheus pulvis ſepulcrum prædocet. *idem in enchir.* 27 *v.* 105 *sqq. (apud Gallandium* 8, 541*)*: heic precioſa magi ſub virginis ubere Chriſto dona ferunt puero myrrhæque et turis et auri. miratur genitrix tot caſti ventris honores, ſeque deum genuiſſe, hominem, regem quoque ſummum. *Coelius Sedulius in carmine paschali* 2, 95 *sq. (apud Gallandium* 9, 543*)*: aurea naſcenti fuderunt munera regi, tura dedere deo, myrrham tribuere ſepulcro. *cf. ejusdem paschalis operis orationem solutam* 2, 6 *l. c.* 576*b med. Claudianus in epigr.* 49 *(ed. Gesneri p.* 711*)*: dant tibi Chaldæi prænuntia munera reges. myrrham homo, rex aurum, ſuscipe tura deus. *in sermone Augustini suppositicio in nat. dom. (edit. Benedict. tom.* 5 *serm.* 131 *col.* 167 *a. fin.) est*: protulerunt magi quando Chriſtum adoraverunt aurum thus et myrrham: aurum qui regem viderunt, thus quia deum intellexerunt cognoverunt et carnem passuram, nam et myrrham protulerunt ad ſepulturam. *et ibid. serm.* 135 *col.* 171 *p. med.*: exhibent aurum thus et myrrham. in auri munere regia dignitas, in thuris vapore divina maieſtas, in myrrhæ ſpecie ſepelienda demonstratur humanitas. *Ambrosius in Lucam c.* 2 *(ed. Colon. t.* 3 *p.* 14*b)*: iſtum parvulum magi adorant et regem appellant et reſurrecturum fatentur offerentes de theſauris ſuis aurum thus et myrrham. quae ſunt iſta veræ fidei munera? aurum regi, thus deo, myrrha defuncto. aliud enim regis inſigne, aliud divinæ ſacramentum poteſtatis, aliud honor eſt ſepulturæ, quæ non corrumpat corpus mortui ſed reſervet. *idem de fide* 1, 2 *(t.* 4, 55g*)*: aurum thus et myrrham ſupplices ad Chriſti cunabula detulerunt, auro regem fatentes ut deum thure venerantes; theſaurus enim regui, ſacrificium dei, myrrha eſt ſepulturæ. *idem de viduis t.* 4 *p.* 238*h*: aurum thus myrrham protulerunt, aurum regis potentiam declarantes, deum thure venerantes, myrrha reſurrectionem corporis confidentes. *idem in symb. apost. t.* 4 p. 48*b*: qui ſpolia Samariæ a magis accipiens homo rex et deus comprobatus eſt. *auctor operis imperfecti in Matth. homil.* 2 *(Joannis Chrysostomi opp. ed. Montfaucon t.* 6 *p. XXXI)*: regem cognoſcentes eum aurum obtulerunt, divinum et cæleſte intelligentes principium eius Libani obtulerunt odorem, humanam autem et temporalem sepulturam eius intelligentes obtulerunt myrrham. *Leo papa in serm. in epiph.* 1 *(opp. ed. Ballerin. t.* 1 *p.* 113*)*: thus deo, myrrham homini, aurum offerunt regi. *idem serm. in epiph.* 3 *(l. c. p.* 119*)*: auro honorantes perſonam regiam, myrrha humanam, thure divinam. *in sermone Caesarii (sec.* 6*)* 43, *qui etiam exstat inter Ambrosianos (in Augustini edit. Bened. serm.* 139, *tom.* 5 *col.* 175 *a. med.)*: illi magi tres esse dicuntur et tria munera, hoc eſt aurum thus et myrrham obtulerunt, quoniam verum deum et regem et verum hominem in carne mortali apparuiſſe cognoverunt. *Fulgentius in serm in epiph. (opp. Basil.* 1587 *p.* 658*)*: per illa tria munerum genera in uno eodemque Chriſto et divina majeſtas et regia poteſtas et humana mortalitas intimatur. thus enim ad ſacrificium, aurum pertinet ad tributum, myrrha ad ſepulturam pertinet mortuorum. *Isidorus Hispal. in allegor. nov. test. (opp. edit. Paris.* 1601 *p.* 520*b)*: indicantes ſacramentorum muneribus Chriſtum per thus eſſe deum, per myrrham hominem paſſum atque ſepultum, per aurum regem omnium ſeculorum. *Beda in lib. quaest. (opp. edit. Basil.* 8, 389*)*: eccleſia intelligit in auro regem, in thure deum, in myrrha hominem ſuo tempore moriturum et ſepeliendum. *porro Alcuinus in libro de div. off. c.* 5 *(ed. Quercetani Lut. Bat.* 1617 *col.* 1015 *med.)*: per aurum rex oſtenditur, in thure deus dignoscitur, per myrram homo paſſus atque ſepultus. *Hrabanus Maurus de universo lib.* 4 *(edit. Colon.* 1626 *tom.* 1 *p.* 78*b p. med.) Isidori quem modo citavimus locum fere ad verbum, idem in Matthaeum c.* 2 *(l. c. t.* 5 *p.* 14*b p. med.) locum Fulgentii supra laudatum ad*

26r. gelo. ne ultra ad eum reuerterentur. eo quod male cogitaret | de puero. Illi autem iterum ado-

---

*verbum transcribit, quod facit etiam Jacobus a Voragine in legenda aurea cap.* 14 *(edit. Grüssii p.* 93*). porro idem Hrabanus in homil. in epiphan. dom. (t.* 5 *p.* 584*a p. in.)*: in thure obtulerunt Chriſto dei honorem, in auro regiam dignitatem, in myrrha corporis ſepulturam. *idem in hymno* 4 *de epiph. (t.* 6 *p.* 222*b ad fin.)*: cui mox ergo magi munera deferunt thus myrrham aurum ab Ophir, regi homini deo; *et in hymno* 5 *in epiph. (l. c. p.* 223*a a. med.)*: aurum potentis regmina, numen ſacrum thus indicat, carnemque myrrha mortuam mundi piantem machinam. *consentit cum his munera oblata interpretans Hrodsvitha e2r. med., sed rem non satis clare explicat verbis his* trino cœleſtem venerantur munere regem, hunc hominemque deum deſignantes moriturum. *clare rem explicat Cuonradus noster* 82, 12 *sqq., quem locum legendum esse puto ita*: dem kinde opherten ſie drî gâbe bezeichenlîche: golt, daz er übr elliu rîche und aller künege keiſer iſt; wîrouch durch den liſt zêrenne ſîn gotheit; die mirren, daz ſîn menſcheit der engeſtlîchen burde des tôdes niht über wurde. *Philippus Cartusianus non satis accurate dicit* 2584 *sqq. magos muneribus indicavisse* daz er got und menſche wêre, des himels und der werlde hêrre. *de Walthero Reinaviensi idem valet,* 69, 49 *sqq. trina munera oblata esse dicente* als man gote geben sol und hôhen künegen zimet wol. *ceterum eandem munerum interpretationem habes in carmine de vita Christi sec.* 12 *conscripto quod exstat et in cod. Vorovіensi, vid Diemeri edit.* 235, 13 *sqq., et in cod. Görlicensi, vid. Hoffmannum in libro Fundgruben* 1, 146, 4 *sqq.; porro in fragmento carminis quod e cod. Monac. ed. Pfeifferus in Hauptii ephem. tom.* 5, *vid. ibid. p.* 29 *v.* 447 *sqq.; nec non in sermone theotisco sec.* 14 *apud Leyserum* 55, 11 *sqq.* 58, 8 *sqq. res confundit auctor sermonis theot. in epiph. sec.* 12 *(Speculum ecclesiae ed. Kelle p.* 38*)*: ſi brâhten im golt unde wîhrouch unde mirren. mit dem golde bedûtten ſi daz ſi gloubeten daz er ein wârer got was unde kunich aller kunige, mit der mirren bedûtten ſi daz er wærlichen menniſk wære, mit dem wîhrouche bedûtten ſi daz er der wâre Kriſt wære der die werlte mit ſîme tôde erledigen ſolte. *huc etiam referendus esse mihi videtur locus carminis veteris saxonici quod Heliand vocamus v.* 674 *(*20, 16 *Schm.)*: theâ wrekkion fêllun te them kinde an kneobeda, endi ina an cuningwîſa gôdan grôttun, endi im theâ gebâ drôgun, gold endi wîhrôk bi godes têcnun endi myrra thâr mid. *vertunt* bi godes têcnun *Grein et Simrock 'nach den göttlichen Zeichen', Köne 'nach den Gottes-Zeichen'. desideratur horum verborum interpretatio et in Schmelleri et in Heynii glossario; ne allegantur quidem. interpretanda esse puto 'in dei significationem, ut deum eum mysticis his muneribus significarent'. sine dubio poeta rem non clare intelligens ad aurum et thus retulit quod de thure solo dicere debuit.* bi têcnun *idem est atque Otfridi illud* in zeihnungu 4, 33, 38. *Alii munera haec magorum mystica interpretantes thus non divinam Christi potestatem sed sacerdotalem ejus dignitatem respicere contendunt, ut Maximus Taurinensis in homil.* 9 *(apud Gallandium* 9, 355*)*: obtulerunt quod putabant esse pulcherrimum ſalvatori, aurum tus et myrrham, aurum quaſi ad regnandum, myrrham quaſi ad reſurgendum, tus quaſi ad propitiandum. auro potentia oſtenditur, myrrha deſignatur incorruptibilitas, pontificium ture monſtratur. non enim otioſe factum eſt quod magi ad dominum cum his muneribus advenerunt. invenientes enim curioſitate ſuperſtitionis ſuæ Chriſtum omnibus regnaturum, detulerunt ad eum cunctorum elementorum inſignia, aurum quo terrena vincuntur, tus quo placari putantur cœleſtia, myrrham qua condiuntur inferna, oſtendentes utique a nativitate Chriſti horum nihil opus eſſe. quoniam per Chriſtum conſtaret et victoria in terris et propitiatio in cœlis et requies in infernis. *porro auctor opusculi illius de stella et magis, quod vulgo adscribitur Cypriano (in Cypr. opp. ed. Baluz. Paris.* 1726 *col. XC med.)*: in auro regem, in thure ſacerdotem, in myrrha incorruptibilem quamvis passibilem profitentur. *item Beda in Matth. c.* 2 *(ed. Basil.* 1563 *t.* 5 *col.* 5*)*: in auro regalis dignitas oſtenditur, in thure eius verum ſacerdotium, in myrrha mortalitas. *hunc Bedae locum imitatus est Otfridus noster* 1, 17, 71 kundtun ſiê uns...in theru wuntarlichûn gifti thaz er urmâri uns êwarto wâri, ouh kuning in giburti, joh bi unſih dôt wurti. *in modo qui et Carelmanninc (Ebert Überlieferungen* 1, 1, 78*) est* intrantes dederunt munera ſimplices. monſtrant auro regem eſſe, presulem *(i. e. episcopum)* deſignant ture *(falso ap. Ebertum* iure*)*, mirram ſignum tumulo tribuere domino. *Ruodolfus poeta in Barlaamo ed. Pfeiff.* 69, 1—7 *habet*: von Tharſis, von Arâbiâ brâhten drîe künege ſâ golt mirren wîrouch. die bezeichenten ouch ſînen gwalt mit golde; mit wîrouch, daz er ſolde ein êwart ſîn der wârheit; mit mirren, daz er würde geleit uns ze trôſte in ein grap. *et in hymno anonymi in epiph. e cod. sec.* 12 *a Monio viro clarissimo edito in hymnorum latin. corpore* 1 *p.* 80 *est (magi loquentes inducuntur)*: dona damus talia, per quæ regis gloria patet et potentia quæ gubernat omnia: jus in auro regium, thure ſacerdotium, myrrha munus tertium mortis in indicium. *Wernherus poeta in interpretandis muneribus illis mysticis* 206, 1—11 *utramque thuris significationem conjungit*: der ander brâhte wîrouch, dâran erzaiget er ouch daz er got wære und êwart, der al die werlde bewart. *De aliis munerum mysticis significationibus, ne longiores hic fiamus, alias agamus. Nomina magorum Beda in collectaneis, seu quisquis fuit hujus operis auctor,*

rantef infantem/ cum omni gaudio per alteram uiam reuerfi sunt in regionem fuam.[214]) Uidenf [Cap. 17.]
autem herodef rex quod delufuf effet a magif/ inflammatum eft cor eiuf/ et mifit per omnef
vias [215]) uolenf capere eof.[216]) Quof cum penituf inuenire non poffet.[217]) mifit in bethleem et
occidit omnef infantef a bimatu et infra. fecundum tempuf quod exquifierat a magif.[218]) Ante
unum uero diem quam hoc fieret/ uenit angelus domini in fomnif ad iofeph/ et admonuit eum
dicenf. Tolle mariam et infantem/ et per uiam heremi perge in ęgyptum. Rex enim herodef
querit occidere infantem. Surgenf autem a fomno iofeph/ accepit mariam | et puerum et perge- 26v.
bat in egyptum.[219]) Cumque perueniffent ad fpeluncam quandam ut quafi fub ea fe refrigerarent/ [Cap. 18.]
defcendit maria de iumento et fedit/ et habebat iefum in gremio. Erant autem cum iofeph tref

---

*(opp. edit. Basil. 3, 649) exhibet* Melchior Caspar Balthasar. *in libri nostri codice Laurentiano (Tischdf. p. 80) nomina sunt* Guafpar Melchion Balthasar. *demiratur Tischendorfius nomen* Melchion; *sed etiam in carmine nostro quod Passionale vocatur eadem nominis forma occurrit bis ac quidem consonantia finali fixa* 24, 6 *et* 25, 78. *de aliis nominibus et numero eorum v. Thilonem l. c. p.* 389 *et R. Hofmannum in libro das Leben Jesu nach den Apokryphen p.* 127 *sq.*

214) *Tota fere haec narratio de magis advenientibus infantemque adorantibus sumpta ex Matth.* 2, 1—12. *verba non omnia cum vulgata versione consentiunt. poetas videas Hrodsvitham e2r., Wernherum* 203, 33—206, 34, *Cuonradum* 81, 44—82, 39, *auctorem Passionalis* 23, 72—26, 45, *Philippum* 2436—2633, *Waltherum* 68, 51—70, 11. 215) vias *in margine additum prima ut videtur manu.* 216) *Herodem misisse qui magos caperent fictio est libri nostri, quam sequitur Wernherus* 208, 2 *et Philippus* 2638 *sq.* 217) *Post* poff *nota compendii erasa et alia manu* et/ *superscriptum est. punctum quod exhibemus primi est librarii.* 218) *Quae de Herodis in magos ira et de nece infantium traduntur in libro nostro non plane congruunt cum iis quae legimus in evang Matthaei* 2, 16: *cf. adnot.* 216. *descriptas has res legis apud Wernherum* 207, 40—208, 7 *et* 208, 36—210, 6, *obiter memoratas apud Cuonradum* 82, 40—53, *apud Waltherum* 71, 8—15. *nec non ceteri has res narrant, sed eo ab illis recedunt quod inter necis consilium et exsecutionem intervallum ponant, quod explent itinere tyranni jussu Caesaris Romam facto, ut etiam Parisiensis alter habet* Anno fequenti Herodes rediens a Roma *(de quo itinere tanquam causa necis per annum dilatae agit Petrus Comestor in hist. evangelica c.* 11 *et hunc sequens Vincentius Bellov. l. c. lib.* 6 *cap.* 93*): auctor Passionalis* 27, 86—28, 21. 42, 85—44, 29, *Philippus* 2634—2667 *et* 2734—2741, *Hrodsvitha e2r. p. med. et v. a. med., etiam qui carmen de vita Christi composuit quod et in Vorowiensi et in Görlicensi codice exstat, vid. Diemerum* 237, 22 *sqq. et Hoffmanni librum Fundgruben* 1, 148, 19 *sqq. Ceterum Wernherus* 208, 39—210, 6 *flebilem necis infantium descriptionem addidit ex suo ingenio puto. nec non jam Otfridus evangeliorum libro* 1, 20 *talem insererat, Juvencum et Coelum Sedulium passim imitatus, quorum alter in hist. evang.* 1, 257—270, *alter in carmine paschali* 2, 7 *(apud Gallandium* 9, 544 *et* 577*) de nece infantium agit. nam Otfridi verba* thiu kind giftuatun ftechan, thiu wiht ni mohtun fprechan, joh wurtun al fillorinu mithont giborinu *respicere videntur Sedulii illa* quo crimine fimplex turba perit? cur qui vixdum potuere creari *(in orat. soluta* qui vixdum modo funt geniti), jam metuere mori? *porro Otfridi* thie muater thie ruzzun joh zaharî ûzfluzzun, thaz weinôn was in lengî himilo gizengi *congruunt cum Juvenci* mifero fubolis pro funere matres horrendis graviter cœlum pulfare querelis. *Otfridi* thie brufti fie in ougtun, thaz fahs thanarouftun *sumta sunt e Sedulii* hæc laceros crines nudato vertice rupit, illa genas fecuit, nudum ferit altera pugnis pectus. *denique Otfridi* iz ni habênt livolâ noh iz ni lefent fcrîbarâ thaz jungera worolti fulih mord wurti *fluxisse videntur ex iis verbis quae Sedulius in operis paschalis soluta oratione habet (desunt in carmine)* nemo calamitatis illius tam varias tamque multiplices poteft imagines expedire, ubi diversis generibus lamentorum dolor aderat non diverfus. *sed praeter hos etiam alium imitatum esse Otfridum in hac infanticidii descriptione veri simile est verbis ejus quae modo citavimus si praecedentia adjungis* (wîg was ofto managaz . . ni fah man io . . thesemo gilîchaz . . . thaz jungera worolti fulîh mord wurti), *quae congruunt cum verbis carminis saxonici his (*734 *sqq.,* 22, 12 *sq. Schm.)* ni warth fith noh êr jâmarlicara forgang jungarô mannô. *quum Otfridus carmen saxonicum in manibus non haberet, sequitur ut uterque poeta et Francus et Saxo e communi haec fonte hauserint.* 219) *Vid. Matth.* 2, 13. 14. *Cf. hist. Josephi arab. c.* 8 *(Thilo p.* 17. *Tischdf. p.* 119*), evang. inf. arab. c.* 9 *(Thilo p.* 73. *Tischdf. p.* 175*), protev. Jacobi c.* 22 *(Thilo p.* 261 *sq. Tischdf. p.* 42*). Poetas vide Hrodsvitham e2v. med., Wernherum* 208, 11—35, *Cuonradum* 82, 54 *sqq.* = *auct. Passionalis* 28, 22 *sqq., Philippum* 2742 *sqq., Waltherum* 70, 48 *sqq.*

pueriſ et cum maria una puella iter agenteſ. Et ecce ſubito egreſſi sunt de ſpelunca multi dra-
coneſ quos pueri uidenteſ pre timore exclamauerunt. Quoſ uidenſ ieſuſ cum nondum eſſet binu-
luſ[220]) excuſſit ſe de gremio matriſ. et ſtanſ in pedibuſ ſuiſ. ſtetit ante eoſ. Illi autem draconeſ
uidenteſ eum adorauerunt/ et cum adoraſſent eum abire ceperunt. Ieſuſ uero infantuluſ ita ut[221])
27r. erat/ cepit ire cum eiſ/ ut nullum grauarent nec | lederent. Maria autem et ioseph timenteſ.
dicebant inter ſe. Meliuſ eſt ut noſ interficiant iſti draconeſ quam infantem ledant. Quibuſ ieſuſ
ait. Nolite me conſiderare quia infantuluſ ſum. Ego enim ſemper uir perfectuſ fui et ſum/ et
[Cap. 19.] neceſſe eſt ut omnia genera ferarum manſueſcere faciam.[222]) Similiter autem leoneſ et pardi. et
uaria genera ferarum undique uenienteſ adorabant eum. et comitabantur cum eo per deſertum.
quocunque ibat maria et ioseph/ atque ante cedebant eoſ oſtendenteſ uiam/ et obſequium facien-
teſ inclinabant capita ſua. immani cum reuerentia/ ſeruitiumque caudiſ adulantibuſ exhibebant.
27v. Primo autem die | ut uidit maria leoneſ circa ſe uenienteſ et pardoſ et uaria ferarum monſtra/
uehementer expauit. In cuiuſ faciem infanſ ieſuſ ſubriſit/ et conſolationiſ eam uoce alloquenſ[223])
dixit. Noli timere mater/ non enim ad tuam iniuriam. ſed ad obſequium tuum feſtinant. Et hiſ
dictiſ/ amputauit timorem cordiſ eorum. Ambulabant ergo ſimul leoneſ/ et aſini/ et boueſ/ et
ſaugmarii/[224]) qui eis portabant neceſſaria/ et ſimul ubi manſio facta eſſet. ad pabulum accede-
bant. Erant etiam manſueti arieteſ qui ſimul de iudea exierant et ſequebantur/ qui et ipſi inter
28r. leoneſ ambulabant ſine formidine. Non timebat ulluſ ullvm. | et nulluſ ab ullo ledebatur in aliquo.
Tunc adimpletum eſt quod eſayaſ ait. Lupi cum agniſ paſcentur/ et leo et boſ ſimul paleiſ
ueſcentur[225]). Erant enim duo boueſ in itinere eorum. ſagmarii. quos dirigebant leoneſ per de-
[Cap. 20.] ſertum in itinere domini noſtri ieſu chriſti. cuiuſ neceſſaria portabant. et obſequebantur.[226]) Factum
eſt autem poſt hęc die tercia profectioniſ ſuę. ut maria nimio ſoliſ ardore fatigaretur in heremo.
Et uidenſ arborem palmarum[227]) mirę pulchritudiniſ et altitudiniſ. ac ſub umbra eiuſ aliquantulum
28v. uolenſ quieſcere. feſtinans ioseph perduxit eam ad palmam et deſcendere fecit de iumento. | Cum-

---

220) binuluſ *sic codex. vera hujus vocabuli forma* bimulus *manu sec.* 15 *margini adscripta.* 221) ut ita *scripserat librarius. justum ordinem sive ipse sive corrector ejusdem temporis literis superpositis indicavit.* 222) *Quae hic narrata sunt de draconibus Jesum puerum adorantibus sunt in Hrodsvithae historia beatae virginis* e2v. p *med. sq., in Cuonradi carmine de infantia Jesus* 82, 65—83, 28 = *Passional.* 28, 64—29, 19, *apud Philippum Cartusianum* 2880—2907, *apud Waltherum Reinav.* 72, 31—46. 223) *Vocis* alloquenſ *litera* n *prima ut videtur manu superscripta.*
224) ſaugmarius *forma rara pro usitata* ſagmarius, *quae paulo infra occurrit (quo loco manu recentiore post priorem* a *litera* v *superscripta est). ex sermone et pronunciatione vulgari eam fluxisse puto. notum est e graeco-latino* ſagma *in lingua theotisca factum esse* ſaum *vel* ſoum *eodem modo quo goticum* bagms *in theotiscum* baum, boum, poum *mutatum est. vox linguae latinae* ſagmarius *transiit apud theotiscos in* ſaumâri, ſoumâri, ſoumære, *nostrum* Säumer, *idem significans quod* Saumtier. ſagmarius *est jumentum sarcinarium, sive equus sive mulus sive asinus.* 225) *Verba haec Esaiae prophetae* 65, 25 *non congruunt cum verbis versionis vulgatae, ubi est* lupus et agnus paſcentur ſimul et leo et bos comedent paleas. *cf. Hieronymum in comm. ed. Vallars.* 4, 794. 226) *Quae hoc capite narrata sunt de bestiis feris puerum adorantibus et cum mansuetis consuetudinem habentibus habes in Hrodsvithae carmine fol.* e3r., *apud Cuonradum* 83, 29—66 = *Passional.* 29, 20—71, *apud Philippum* 2908—2929, *apud Waltherum* 72, 47—73, 26. 227) palmarum *est in codice. sed literae* arum, *quarum prima in rasura est, alia ut videtur manu ejusdem temporis adscriptae. scripserat librarius* palmę, *quod et Vaticanus et Vincentius Bellov. l. c. cap.* 94 *praebent.*

que reſediſſet maria/ reſpicienſ ad coronam palme uidit repletam pomiſ et ait. O ſi poſſit fieri
ut ex iſtiſ fructibuſ palmę perciperem. Et ait ad eam ioseph. Miror te hęc dicere/ cum uideaſ
tantam altitudinem palme huiuſ. Sed tu quidem de palme huiuſ fructibuſ cogitaſ. ego autem
de aqua cogito. quę nobiſ iam defecit in utribuſ. et non habemuſ iam unde noſ uel ani-
malia refocilare poſſimuſ. Tunc infantuluſ ieſuſ ſedenſ in ſinu uirginiſ matris ſuę. et audienſ et
intelligenſ[228]) quę dicebantur/ exclamauit ad palmam[229]) et dixit. Flectere arbor et de fructibuſ
tuiſ refice | matrem[230]) meam. Statim autem ad uocem eiuſ inclinauit palma cacumen ſuum uſ- 29r.
que ad plantaſ marię/ et colligenteſ ex ea fructuſ quos habebat. omneſ refecti sunt. Poſtea uero
quam collecta sunt omnia poma eiuſ inclinata manebat/ expectanſ ut eiuſ imperio fuerat inclinata.
Tunc ieſuſ reſpicienſ eam dixit. Erige te palma et confortare/ et eſto conſorſ illarum arborum
quę ſunt in paradiſo patriſ mei. Aperi autem ex radicibuſ tuiſ fonteſ occultatoſ[231])/ et fluant ex
eiſ aquę in ſacietatem. Et ſtatim erecta eſt palma/ et ceperunt per radices eiuſ fonteſ aquarum
egredi limpidiſſimi et frigidi multumque dulciſſimi. Uidenteſ autem fluenteſ aquarum | fonteſ/ 29v.
gauiſi sunt gaudio magno/ et potati unâ[232]) cum iumentiſ et hominibuſ gratiaſ egerunt deo. Die [Cap. 21.]
autem altero profecti sunt inde. In hora autem qua ceperunt iter agere/ conuerſuſ ieſuſ ait ad
palmam. Hoc priuilegium do tibi palma. ut unuſ ex ramiſ tuiſ transferatur ab angeliſ meiſ et
plantetur in paradiſo patriſ mei. Hanc autem benedictionem in te conferam/ ut omneſ qui in
quocunque certamine uicerit dicatur ei. Perueniſti ad palmam. Hęc eo loquente/ ecce angelus
domini aparuit ſtanſ cum magno ſplendore ſupra arborem palmę et auferenſ unum de ramiſ eiuſ
iuit[233]) uolanſ. Quod uidenteſ uniuerſi/ ceciderunt in faciem ſuam | pre timore angeli/ et facti 30r.
sunt uelut mortui. Tunc ieſuſ uidenſ eoſ ita perterritoſ/ ait eiſ. Quare formido obtimuit cor
ueſtrum? Aut neſcitis quoniam palma hęc quam feci tranſferri. parata erit omnibuſ ſanctiſ in
loco deliciarum/ ſicut uobiſ parata fuit in hoc loco deſerti? At illi gaudio repleti/ ſurrexerunt
omneſ.[234]) Ioſeph autem dixit ei. Domine. quoniam eſtuſ nimiuſ décoquet noſ/ ſi uiſ teneamuſ [Cap. 22.]
uiam mariſ/ ut poſſimuſ per ciuitateſ maritimaſ requieſcendo tranſire. Dicit ei ieſuſ. Noli timere
ioſeph. Ego manſioneſ adbreuiabo/ ita ut ubi per triginta dieſ uobiſ properandum erat. in hac
una die ad manſionem pertingatiſ. Adhuc eo loquente | et ecce proſpicienteſ[235]) uidere ceperunt 30v.

---

228) *Scripsit librarius* et intelligenſ et audienſ. *justum verborum ordinem literis superscriptis notavit.*
229) ad palmam *alia ut videtur manu sed ejusdem aetatis margini adscriptum.* 230) matrem *bis scripserat librarius. prius in exitu paginae positum linea subterposita delevit.* 231) *Scripserat librarius* occultoſ. *syllabam* ta *ipse superscripsit.* fontes occultos *habet Vincentius Bellov. l. c. cap.* 94. 232) *Caveas ne accentum literae* a *vocis* una *superpositum acutum habeas: sine dubio librarius circumflexum esse voluit, sed duae lineae scribenti confluxerunt.*
233) *Verbi* iuit *literae* it *superscriptae.* 234) *Hanc de palma narrationem imitati sunt Hrodsvitha* c3r. *p. med.* — c4r. *init., Cuonradus* 83, 67—84, 74 = *auct. Passionalis* 29, 72—30, 89, *Philippus* 2786—2865, *Waltherus* 73, 27—74, 20.
235) *Vocis* loquente, *qua exit pagina, pars altera in marginem producta. Voces* et ecce, *quibus incipit nova pagina, item in margine sunt.* proſpi *est in rasura,* cienteſ *superscriptum. puto verba* et ecce proſpicienteſ *primum omissa, deinde loco* quente, *quod priori paginae adjecit librarius, esse addita. Ceterum de itinere miro modo coarctato secuti nostrum librum referunt Hrodsvitha* c4r. *p. init., Cuonradus* 89, 62,—90, 8 = *auct. Passionalis* 37, 20—70; *rem aliter tradunt Philippus* 3095—3225 *et Waltherus* 77, 27—78, 29.

monteſ ęgypti et ęquitatuſ[236]) eiuſ/ et gaudentes atque exultanteſ. deuenerunt in finibus hermo-
poliſ[237])/ et in unam ex ciuitatibuſ ęgypti. quę ſihenen[238]) dicitur. intrauerunt. Et quoniam
nulluſ in ea erat eiſ notuſ apud quem hoſpitarentur templum ingreſſi sunt. quod capitolium. eiuſ-
dem ciuitatiſ ab egyptiiſ uocabatur. In quo templo trecenta ſexaginta quinque idola[239]) poſita
[Cap. 23.] erant. quibuſ ſinguliſ diebuſ honor deitatiſ a ſacrilegiſ impendebatur.[240]) Factum eſt autem ut
ingreſſa maria templum cum infantulo uniuerſa corruerent ſimulacra/ et omnia ipſa idola iacentia
31r. in faciem nihil ſe eſſe euidentiuſ perdo|cerent. Tunc adimpletum eſt uaticinium illud eſaie dicentiſ.
Ecce dominuſ ſedet ſuper nubem leuem et ueniet in egyptum/ et commouebuntur idola manufacta
[Cap. 24.] egyptiorum a facię eiuſ. et cadent in terram.[241]). Tunc afrodiſio[242]) principi eiuſdem ciuitatiſ
cum nuntiatum eſſet/ uenit ad templum cum omni exercitu ſuo. et cum omnibuſ amiciſ et comi-
tibuſ ſuiſ. Sperabant autem[243]) pontificeſ templi ut nihil diceret in hiſ quorum cauſa censuerat.[244])

---

236) *Reliqui codd. omnes* ciuitateſ. *Vincentius Bellov. omittit hanc vocem, praebet tantum* proſpicientes viderunt montes egypti. *Hrodsvitha totam hanc periodum non reddit v. e4r. med. tenendum est quod habet noster.* equitatus *sunt greges equorum, equariae: rarissima sine dubio vocis significatio etsi non prorsus inaudita cf. Caes. de b. civ.* **3**, 58 *ad f., ubi* equitatus *equos significat. callebant res equarias et artem equitandi Aegyptii veteres, inde et pollentes erant eorum reges equitibus, ut est in Exodo.* 237) ermopoliſ *scripsit librarius. corrector super literam* e *posuit signum illud pro* h *usurpatum de quo disputavimus in adnot.* **1**, *et super priorem* o *scripsit* ŀ i. 238) *Cum nostro consentit Vincentius Bellov. cap.* 94 *item nomen urbis* ſyenen *exhibens.* Sotinen *praebet Vaticanus et Paris. primus,* Sotrina *Laurentianus. Hrodsvitha e4r. a. med. urbem vocat* Soniten. *poetae theotisci uno ore eam appellant* Splene: *Cuonradus* 90, **11** ze Splêne in die houbetſtat, *auctor Passionalis (secundum dialectum qua utitur* ê *in* ie *mutans)* 37, 79 in ein ſtat Splien die hiez, *Waltherus Reinav.* 79, **14** in ein ſtat Splênen genant, *Philippus Cartusianus* 3279 Splêne heizt die ſtat mit namen *(v. varias lectiones in edit. Rückerti p.* 303*), ubi perperam editor scripsit* Sotîne *oppugnans codices et textum carminis quod imitatus est Philippus item exhibentis* poſthac Splenen civitatem magnam intraverunt *(v. pag.* 358*).*
239) *Eundem idolorum numerum indicat Waltherus Reinav.* 79, 38, *Cuonradus* 90, 22 *habet* driu hundert und vierzic abgot, *auctor Passionalis* 38, **31** wol umme die vierthalbhundert; *numerum non indicant Philippus et Hrodsvitha.*
240) *Punctum in codice desideratur.* 241) *Esaiae* 19, **1.** *verba cum versione vulgata non congruunt, ubi legimus* ecce dominus aſcendet ſuper nubem levem et ingredietur Aegyptum et movebuntur (*al.* commovebuntur) ſimulacra Aegypti a facie ejus. *non habet hunc Esaiae locum Cuonradus cf.* 90, 35 *sqq., habet eum auctor Passionalis (*38, 16 *sqq.* dit was hie vor geſprochen unde ſtêt in Isâiâ. er ſprichet 'secht got ſal her nâ kumen in Egypten lant und ſô werden dâ geſchant ir abgote unde beweit) *ac quidem ex nostro libro non ex propria librorum sacrorum notitia, ut Bartschius contendit in Pfeifferi Germania* 5, 438 *(etiam alium Esaiae locum* 38, 17 *false afferens).* 242) Afrodiſium *Aegyptiorum principem vocat noster cum ambobus Parisiensibus,* Affrodoſium *Vaticanus,* Fradoſium *Laurentianus. apud Vincentium in exemplari nostro legitur* cum hoc nunciatum esset affrodioſo, *fortasse errore typographico pro* affrodoſio. *Hrodsvitha habet e4r. p. med.* hæc Affrodoſio poſtquam fuerant recitata. *Cuonradus nomen exhibet* Affrodiſius 90, 69. 91, 25, *item auctor Passionalis* 38, 50. 39, 23, *Waltherus* Affrodoſius 80, 49. 81, 47, *Philippi carminis codices omnes teste editore in apparatu p.* 303 *ad v.* 3391 Eufrodiſius. 243) *Post* autem *manu recentiore superscriptum est* omneſ. 244) *Locus difficilis qui primo quidem adspectu sensu carere videtur. neque inter se consentiunt reliqui. in Paris. primo apud Thilonem* p. 400 *est* pontifices vero templi ut viderunt Afrodiſium cum omni exercitu ſuo properantem ad templum, putaverunt ſe *(i. e. pontifices)* vindictam *(scil. Afrodisii)* videre in eos, quorum cauſa dii corruerant; *Tischendorfius p.* 86 *praebet Vaticanum suum secutus* pontifices vero templi ut viderunt (viderent *Vat.*) quod *(deest in Vat.)* Affrodoſio cum univerſo exercitu ſuo venit ad templum, properare putabant ſe tantum vindictam videre *(i. e. ut tantum vindictam videret)* in iis, quorum cauſa dii corruerant; *Laurentianus habet pro his* putans quia dii deo vindictam facerent, ad cuius ingreſſum corruerant: *non verbis quidem sed sententia cum Vaticano consentiens. in Vincentio Bellov l. c. cap.* 95 *desideratur totus hic verborum ambitus. Hrodsvitha e4r. p. med. cum Parisiensi fere congruit. locum reddit sic* hæc Affrodoſio poſtquam fuerant recitata, illic cum ſociis feſtinat pergere multis. quod cum pontifices templi ſenſere prophani,

Ille autem ingreſſus templum et uidenſ uera eſſe quę audierat! ſtatim acceſſit ad mariam. et adorauit infantem quem ipſa uirgo maria in ſinu ſuo dominum portabat. Et cum adoraſſet eum | locutuſ eſt ad uniuerſum [245]) exercitum ſuum. et ad omneſ amicoſ ſuoſ dicenſ. Hic niſi deus eſſet. 31v.
horum deorum noſtrorum! non iſti coram eo ſe proſternerent. et in conſpectu eiuſ proſtrati [246]) deum ſuum illum [247]) hic et iacenteſ proteſtarentur. Noſ ergo quod deoſ noſtroſ uidemuſ facere niſi cautiuſ fecerimvs. omneſ poterimuſ periculum incurrere indignationiſ [248]). et uniuerſi in interitum [249]) deuenire. ſicut euênit pharaoni regi egyptiorum. qui tantiſ uirtutibuſ non credidit. et cum omni exercitu ſuo in mare demerſvs eſt. Tunc omniſ populus eiuſdem ciuitatiſ crediderunt deo et domino noſtro ieſu chriſto. [250]) cui eſt honor et gloria una cum patre et ſpiritu ſancto in ſecula ſeculorum Amen. Finit de | ortu beate marie perpetue uirginiſ. uel infancia ſaluatoriſ noſtri. [251]) 32r.

---

ſperabant illum variis mox perdere pœnis hos qui damna deis fecerunt talia ſtultis. *quem sensum omnino probamus. si enim nostrum emendandum hoc loco putaremus*, *pro* ut nihil diceret *scriberemus* ut vindicaret. *sed emendatione non opus est. verba jam ipsa nostri eandem vim habere putamus. nam* ſperabant ut nihil diceret in his *idem valere videtur ac sperabant fore ut verba omnino non faceret sed ageret et idolorum ruinam vindicaret ab iis*, quorum cauſa cenſuerat *i. e. quorum causa succensuerat*, *qui iram ejus irritaverant.* cenſere *hoc loco usurpatum est pro succensere: v. Nonium Marcellum p.* 267 *ed. Mercier Varronis verbis usum* ne vobis cenſeam. ſi ad me referretis *etiam in Cyrilli glossario a Labbeo edito est* censeo ὀργίζομαι. 245) uniuerſum *alia ut videtur manu superscriptum.* 246) proſtrati in *margine adjectum manu librarii* 247) *Codex* illum ſuum *literis* b a *superscriptis.* 248) *i. e. indignationis divinae, vindictae divinae* 249) interritum *cod.* 250) *Quae hic narrata sunt de ruina idolorum Aegyptiorum et de Afrodisio principe habes in carmine Hrodsvithae e1r. a. med. — v. p. init., apud Cuonradum* 90, 9—91, 32, *item in Passionali* 37, 78—39, 75, *apud Philippum* 3276—3603, *apud Waltherum Reinaviensem* 79, 13—83, 35. *idola corruisse legitur etiam in carmine de vita Christi sec* 12 *compos. in cod. Vorow. apud Diemerum* 238, 9, *in Görlicensi apud Hoffmannum* 1, 148, 38. *v. quae adnotavit ad hunc locum Thilo l. c. p.* 399. 251) *Quae post* Amen *sunt alia ejusdem aetatis manus litura sustulit eorumque loco scripsit* Expliciunt GESTA SALUATORIS.

LEGAS QUAESO *pag.* 14 *in adnotatione* 68 *ad fin.* Reinaviensis *pag.* 19 *in adnot.* 113 *versu paenult.* responsum *pag* 21 *in adnot.* 118 omisit Paris. primus, *pag. eadem versu* 3 *adnotationis* 122 Paris. primus *pag.* 22 *versu* 1 *adnot.* 125 in altero Paris, in primo *pag.* 26 *versu* 2 *adnot.* 175 Vaticanus et Laur. *pag.* 28 *versu* 1 *adnotationis* 205 Vaticanus *pro* Venetus.

FIN. DIE X NOV. MDCCCLXVIII.

IMPRESSUM REGIMONTI TYPIS ACADEMICIS DALKOWSKIANIS.

IMPRESSUM REGIMONTI TYPIS ACADEMICIS DALKOWSKIANIS.